De maiestate Domini

NOSTRI IESV CHRISTI AD DEXTRAM DEI PATRIS, ET DE VERA PRÆsentia Corporis & Sanguinis eius in Cœna.

In hoc scripto respondetur Petro Martyri, & Henrico Bullingero, Cingliani dogmatis de Cœna Dominica propugnatoribus.

AVTORE IOANNE Brentio.

Francoforti apud Petrum Brubachium, Anno Domini 1563. mense Martio.

PIO LECTORI IOANNES BRENTIVS S. D.

Egari, amicíſs. mi Lector, nec poteſt, nec debet, quin Sacramentarium hôc diſsidium de cœna Domini, quod initiò his quidẽ temporibus à Caroloſtadio excitatũ, & à Cinglio propagatum eſt, magnam & pernicioſam afferat offenſionem. Hoſtes enim piæ doctrinæ non tam in ſinu ſuo gaudent, quàm publicis uociferationibus ſibi applaudunt, ſperantes fore, ut doctrina diuinitus patefacta, mutuis doctorum uulneribus concidat. Amici autem & alumni ueræ Eccleſiæ ita perturbantur, ut alij quidem paulò imbecilliores incipiãt de ipſa doctrinæ ueritate dubitare: alij autem in tanto imbecillium offendiculo uehementer urantur. Quid ergo faciamus? Num idcirco officiũ deſerendum eſt, ꝙ non omnia pro noſtris uotis ſuccedant? aut transfugiendum eſt in caſtra hoſtium, quòd inter amicos ſit bellum inteſtinum? Nihil certè minus: Sed tanto fortius contra externos & domeſticos aduerſarios pugnandũ eſt, quanto maius exitium utriq; minantur. Neq; enim nouum neq; mirum eſt, ꝙ in eo agro, in quo optimum

ſemen ſpargitur, inimicus ſua etiam, eaq; uenena ta zizania inter triticum ſeminet. Habemus autem eum patremfamilias, qui tanta eſt & prudentia & bonitate, ut nec conniueret ad inimici malitiam, nec ſineret zizania unà cum tritico creſcere, niſi & antea pręuidiſſet tempus meſsis, & ad ſuum quoq; commodum zizanijs uti ſciret ac uellet. Simus igitur inter tot & tanta offendicula tranquillo animo, nec exiſtimemus ruituram cœleſtem doctrinam, quòd qui eam profitentur, uariè afficiantur: ſed potius cogitemus, hanc eſſe ſolennem rationem, qua Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrinam Spiritus ſancti purgatiorem & illuſtriorem reddat. In Arriano diſsidio, in quo uidebatur uera & æterna filij Dei diuinitas periclitari, quid aliud expectabatur, niſi uniuerſi Chriſtianiſmi interitus? Sed bene habet, Deus hanc rem pro ſua clementia ita gubernauit, ut uera & æterna diuinitate Chriſti nihil ferè explicatius in Eccleſia extet. Itaq; non dubitamus, quin & hoc Sacramentarium bellum, etiamſi uideatur Eccleſiæ filij Dei magnam cladem inferre, ſingularem tamen & inſignem quandam utilitatem, diuino beneficio ſit allaturum. Interea autem Deus, dum iudicium ſuum in hac controuerſia pro ſua maieſtate pronunciauerit, eiuſmodi

modi dat euentum, ut qui sunt uerè pij, has tentationes perferre, & ueritatem cognoscere queant. Excitantur enim diuinitus, qui sese magno animo aduersus gigantes illos & Goliathas, pro domo Israelis opponunt, & qui, cùm superioribus annis Lutherus fœlicis memoriæ, hoc certamen maxima animi fortitudine & pietate sustinuerit, optimam nauant operam, ut uera Ecclesia Christi in tanta tenebrarum potestate, lucem habeat, quam sequatur. Ac profecto plurimum gratulor Ecclesiæ filij Dei, quòd tot ac tantos ueritatis propugnatores diuino beneficio habeat, ut præ ijs opera mea planè superuacanea uideatur. Et cùm mea sententia de cœna Domini iam multis annis in Ecclesia publicè & perspicuè extiterit, putaui me meo munere satis defunctum: Sed cùm uiderem hoc bellum periculosè recrudescere, & aduersarios nostros in uarias artes mirificè intentos esse, nec uolui, nec debui, quid sentirem, dissimulare. Itaq; initio exposui paucis quidem, sed apertè ac disertè, in Apologia aduersus Sotum, quæ mea esset de uera præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna eius, sententia. Quòd si nullum aliud officium me impulisset, illud tamen mihi cauendum erat, ne dum in hac ciuili dissensione neutri parti accedere uiderer,

ab utraq; hoſtis, quod ueteres iudicauerunt, haberer. Sed poſtquam copioſior eius ſcripti explicatio ab amicis expeteretur, ſcripſi libellum, cui titulum feci, De perſonali Vnione duarum naturarum in Chriſto, &c. Mox æditur à Bullingero in lucem tractatio uerborum Domini, In domò Patris mei manſiones multæ ſunt &c. Qui libellus cùm & mihi legendus, ac pro mea tenuitate iudicandus traderetur, ſcripſi meam de eo ſententiam, & ſperaui futurum, ut aduerſarij de erroribus ſuis, non admodum duriter admoniti, paulatim miteſcere, & oculos aperire inciperent. Ecce autem tibi quàm longè diuerſum accidit? Initiò enim Petrus Martyr aggreditur me dialogo, in quo meum ſcriptum, De perſonali Vnione duarum naturarum in Chriſto, ita refutandum ſuſcipit, ut interea animi ſui impotentiam magis prodat, quàm ueritatem expugnet. Deinde Henricus Bullingerus in me tanta uehementia coorituꝛ, ut eum etiam caniciem meam uellicare non pudeat. Viſum igitur eſt, cauſam ipſam hoc ſcripto iterum, pro mea mediocritate, tractandam ſuſcipere, ut & Eccleſiæ Filij Dei meum officium probem, & palàm diuino fauore adiutus demonſtrem, Martyrem & Bullingerum decreuiſſe quidem ſibi triumphos, & iam

ceciniſſe

ccciniſſe pæana, ſed ſua ipſorum temeritate & perſuaſione, nullo autem legitimo Senatus decreto. Cæterùm, ut integram cauſam, quoad eius breuiter fieri poteſt, complectar, diuidam hoc ſcriptum in tres partes. In prima exponam, Deo propicio, diuinam maieſtatem Chriſti, ex qua etiam uera præſentia corporis & ſanguinis eius in Cœna ſtatuitur. In altera parte dicam de diſpenſatione corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna. Non enim ubicunque eſt Chriſtus, ibi etiam corpus & ſanguis eius diſpenſantur. Poſtrema pars, non nihil de uſu Cœnæ Dominicæ, Deo uolente, commemorabit.

DE DIVINA

De diuina maiestate CHRISTI.

ALII quidem, qui hactenus post Lutherum inierunt certamen cum Cinglianis de Cœna Domini, probant ueram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, ex uoluntate Christi, quam ipse exposuit claris & manifestis uerbis, cùm accepto pane dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum: Et calice, Bibite, Hic est sanguis meus. Ac rectè & piè dicunt, Velle Dei, esse posse eius, iuxta illud Psalmi: Omnia quæcunq; uoluit, fecit, in cœlo & in terra. Cingliani autem, & inprimis Martyr ac Bullingerus, negant hanc esse Christi uoluntatem, propterea quòd non habeat potestatem, ut efficiat, quo corpus ipsius simul sit uerè & substantialiter in cœlo & in cœna. Sentiunt enim, ne diuina quidem potentia fieri posse, ut uerum corpus simul sit in duobus aut pluribus locis. Cùm igitur alij collegæ nostri non solum piè & eruditè, uerumetiam copiose in scriptis suis uoluntatem Christi explicent, uolui ego potestatem eius, non dico, explicare: Quis enim ego sum, qui uel extremam particulam tantæ potestatis & maiestatis cogitatione saltem mea, pro dignitate sua cõprehendere queam? sed uerbis utcunque, quantum ad præsens institutum pertinere uidetur, adumbrare. Ac profectò optimè nunc nobiscum, in hac quidem causa, agitur, quòd Cingliani hactenus nostrorum scriptis excitati, ita suam opinionem prodiderint, ut nec simplicioribus

cioribus amplius imponere, nec uerè pios seducere queant. De Alexandro Magno scribunt, quòd initurus extremum prælium cum Dario Rege Persarum, omnibus suis copijs instructo, profundum somnum, præter consuetudinem suam, cœperit. Cùm autem iam ad pugnam solus Alexander deesset, excitatur tandem ab amico, admirante ac etiam interrogante, ecquæ illa esset dormiendi libido inter tanta pericula? respondit se maxima cura liberatum, & tranquillo esse animo, quòd Darius omnes suas copias adduxisset, & liceret nūc uel tandem bellum tam periculosum & diuturnum confi cere. Non minus & nos in præsenti certamine securos reddunt Cingliani, & magna nos molestia liberant, quòd cùm hactenus multa dissimulauerint, & falsam suam sententiam honestis uerbis pinxerint, nunc inci piant errorem suum manifestè profiteri, ut simplicio res non amplius seduci queant, sed uniuersa uerè pia Ecclesia apertè cognoscat, qui sint fugiendi, & à quorum doctrina sit cauendum.

Primum enim illa eorum uox publicè extat: Corpus Christi tantum abesse à cœna eius, quantum distat supremum cœlum à terra.

Deinde Martyr, cuius scripto Bullingerus se adscribit, non ueretur publicè uociferari: Nulla ui fieri posse, ut Corpus Christi, salua substantia eius, uel non sit in loco, uel sit ubique. Hoc certè si uerum est, periclitabitur & omnipotentia Dei, & maiestas Christi ad dexteram Dei collocati, id quod recipio me diuina clementia adiutum, in hoc scripto, tam planum facturum, ut omnes pij intelligant, quàm pernicioſum errorem, Satan in Ecclesiam filij Dei per Cinglianum dogma inducere meditatus fuerit.

Postremò dexterã Dei, ad quã spiritus sanctus in uniuersa sacra scriptura collocat Christũ, interpretãtur pro certo & circumscripto loco, in quo Christus stet, sedeat, aut ambulet, prout ei uisum fuerit. Hoc est Christum de summa sua maiestate, qua oĩa liberrimè corãm tuet & conseruat, detrahere, & in angustias corporalium locorum includere. Etsi.n. uolunt uideri, se tribuere Christo amplissimũ habitaculum, in quo stet aut sedeat, aut ambulet: tñ humanitatẽ eius in illud ita includũt, ut necesse habeat in eo perdurare usq; ad nouissimũ diem, quo tãdem tẽpore licebit ei ad nubes descẽdere, & sese orbi terrarum ostentare. Interea aũt, nulla omnipotentia quidẽ eius fieri queat, ut corpus eius in cœlo manens, sit etiam præsens in cœna Dominica. Sed de his posterioríb. duobus membris, suo loco. Nunc paucis de priori illo dicemus. Etsi.n. auditu horrendum est, q; in Christianismo, in quo docetur, Christum accepisse in Cœna sua panẽ, & dixisse hoc esse corpus suũ, uox illa publicè sonet, corpus Christi tantum abesse à Cœna, quãtum supremum cœlum distat à terra, tamen suam affert Ecclesiæ filij Dei utilitatem. Cùm enim nostri obiecerint hactenus Cinglianis, quòd statuant in Cœna Christi nuda signa, hîc tum plurimum uociferabantur de iniuria & calumnia: quippe quòd nihil minus uideri uelint, quàm quòd sentiant se in sua Cœna habere nuda signa. Et solent de uirtute & efficacia eorum ita concionari, ut qui sententiam ipsorum non exactius perpẽderit, existimet eos ueram corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna multò certius, quàm nos ipsos affirmare. Vide ergo mihi ueteratorium astum. Non possunt ignorare, eos, qui accusant ipsos nudorum signorum, intelligere & loqui de signis præsenti substantia corporis & sanguinis Chri-

sti nudis. Ipsi autem intelligunt de signis significatione & uirtute nudis. Sed hac ratione ne quidem petra, aut uitis, aut etiã agnus, essent nuda signa, quippe quòd Christum ipsum significent, & spectatorem ad consideratio nem beneficiorum Christi excitent. Nunc autem, postquam illa eorum uox de distantia corporis Christi à cœna, publicè extat, non possunt amplius cuiquam sua excusatione imponere: sed manifestum est, eos in sua Cœna statuere signa tam nuda, ut quantum supremum cœlum distat à terra, tantum absint à pane & uino Cœnæ corpus & sanguis Christi. Anputas tu exiguam esse utilitatem, sapientes in astutia sua compræhendere?

Deinde cùm de uera & substãtiali præsentia & dispensatione corporis & sanguinis Christi in cœna, sermo est, solẽt palàm profiteri, se credere, quòd in cœna distribuatur uera corporis & sanguinis Christi substãtia. Et Martyr in suo Dialogo: Apparet (inquit) nostros affici magna iniuria, qui cœnam sacram infamentur absq; corpore & sanguine Domini celebrare, &c. Hîc paulò simplicior quispiam, cùm audit hæc uerba, existimat eos nobiscum sentire, quòd corpus & sanguis Christi non sint tantum in cœlo, quod à terra maximo locorum spacio distet, sed etiam in cœna, uerè præsentia: cùm tamen de præsenti distributione substantiæ corporis & sanguinis Christi ita sentiant, ut quemadmodum Princeps quispiam, si confert in suum uasallum, ius feudi (ut nunc loqui solent) dicitur in eum omnem feudi substantiam, etiamsi ea longo interuallo à curia Principis distet, conferre: sic Christus conferat in Cœna uescentibus pane & uino substantiam, hoc est, omne ius, & omne beneficium corporis & sanguinis Christi, etiamsi hæc maximo locorum spacio à Cœna absint. Itaque

dum prę ſentẽ diſpenſationẽ ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna affirmant, aliud ipſi loquunt, aliud populus intelligit. Poſtq̃ autem nunc non uerent publicè iactare, corpus Chriſti tantum abeſſe à pane cœnæ Dominicæ, quantũ ſupremum cœlum diſtat à terra, nõ poteſt amplius, etiã ſimpliciorib⁹, eſſe obſcurum, quo aſtu, & qua uafricie dicant, In Cœna ſubſtantiã corporis & ſanguinis Chriſti diſpẽſari. Sumus igit beneficio huius uocis, illo labore leuati, quòd deinceps non ſit nobis ſolicitè curandũ, ut cognoſcamus certam ſententiã Cinglianorum de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna, Sed ſiue dixerint, ſuum ſacramentũ in Cœna non eſſe nudum ſignũ, ſiue affirmauerint, ſe credere, ꝙ in Cœna diſtribuat uera ſubſtãtia corporis & ſanguinis Chriſti: ſiue ſcripſerint, ſe in Cœna accipere præſens corpus & ſanguinem Chriſti, per fidem, manifeſtum tamẽ eſt, quòd corpus Chriſti, in ſupremo, quod fingunt, cœlo localiter ita collocent, ut reipſa non poſsit eſſe in Cœna. Sed de his hactenus. Accedamus ad caput negocij. Nolo in præſentia ſingulas φλυαρίας, & calumnias Martyris ac Bullingeri perſtringere. Vtilius puto, rẽ ipſam, cuius explicationẽ Eccleſia filij Dei expectat & exigit, tractare. Non eſt autem ſentiendum, quòd his temporibus controuerſia de Cœna Domini in hoc præcipuè cõſtituatur, utrum corpus & ſanguis Chriſti uerè ſint præſentia & diſpenſentur in cœna. Etſi enim initiò, hoc fuit controuerſiæ caput, tamen Cinglianorum intemperie factum eſt, ut nunc aliud κρινόμενον ſit propoſitum. Itaq̃ non hoc tantum quæritur, utrum corpus & ſanguis Chriſti ſint in Cœna eius uerè præſentia, ſed illud etiã quæritur, utrum Deus ſit uerè omnipotens, & utrũ Chriſtus non ſit tantum homo, ſed etiam uerus Deus. Vera omnipo-

tentia

tentia Dei, uera diuinitas & maiestas Christi (quod quidē est in Cinglianis) periclitantur, adeoq; uerè pia sentētia horum præcipuorū articulorum nostræ religionis, Verbum caro factum est, Ascendit in cœlum, Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, in dubium uocatur. Affirmāt, ne Deum quidem ipsum uniuersa sua potentia efficere posse, ut corpus, non aliorum tantum hominum, uerum etiā Christi Seruatoris nostri, sine loco saluum cōsistat. Affirmant in Vnione personali, seu incarnatione Christi, Deum non omnia contulisse in hominem, quem assumpsit, sed ea tantū, quorum homo sua natura capax est. Hoc certè est affirmare nec Deum esse uerè omnipotentem, nec Christum esse uerum Deum. Non dubito, quin futurum sit, ut nullis non uerbis, clamoribus & uociferationibus tantam molem mali à cer uicibus suis depellere studeant. Non aūt uerba tantum & clamores audiendi sunt, sed potius sententia eorum expendēda est, ut de ueritate certius iudicare possis. Antequam aūt hæc explicanda suscipiam, uisum est cōmonefacere Cinglianos maximi sui periculi, recitatione uaticinij, quod de dogmate ipsorum in scriptis D. Martini Lutheri, fœlicis memoriæ, publicè extat. Etsi enim fortasse nonnullis eorum ridiculum uidebitur, obtrudere ipsis nomen eius uiri, cuius autoritatem nō admodum magni faciant, tamen quemadmodum nobis plurimū, diuino beneficio, ad cognoscendum in Romano Pontificio Antichristianismum profuit, ita iudicium tanti heros, in discernendo dogmatum spiritu, non est temerè aspernādum. Si nihil aliud, certè tale uaticinij genus, uel saltem securitatem horum dogmatistarum excutere debet, ne imprudentes in illud exitium, quod initiò ne in mentem quidem uenerat, præcipitentur.

Audiamus igitur uaticinium Lutheri.

Lutherus in secunda parte contra fanaticos, quos uocat cœlestes Prophetas.

Postq̃ (fanatici) eò contendunt, ut nõ uelint uerbum Dei fide honorare, aut iuxta simplicitatem phraseos agnoscere, sed sophistica ratione & acuta subtilitate metiri, ac gubernare: re ipsa comperies, ipsos eò delapsuros, ut negent etiam Christum esse Deum. Nam coram humana ratione tam stultè sonat, Homo est Deus, q̃ illud, Panis est corpus. Et cum alterum negent, mox etiam alterum negabunt. Ac profectò eò tendit Satan, ut cum ipsos è sacra scriptura ad suam ipsorum rationẽ seduxerit, omnes ueteres hæreses in lucem reuocet. Videbis enim admiranda, quantam uidelicet industriam humana ratio ostentabit, præsertim in uulgo, & caput mouebit, ac dicet: Quid? Deitas & humanitas sunt diuersa, immenso discrimine à se inuicem distincta, sicut sempiternum à caduco, quomodo igitur alterum potest esse alterũ? aut quomodo quis dicere potest: Homo est Deus? Eodem certè modo dicendum esset, Caducum seu temporale est perpetuum, Mortale est immortale, & id genus alia. Cuius rei nunc exhibet nobis in capite Carolostadij exemplum, aduersus cœnæ Dominicæ sacramentum. Ibi tum rem probè scilicet conficiet, &c.

Et iterum,

Quascunq; sannas & irrisiones euomuit Carolostadius, de corpore Christi in sacramento, eas etiã de Deitate Christi euomat necesse est, id q̃d etiam suo tempore fiet.

In scripto περὶ τοῦ ῥήτου uerborum Christi, Hoc est corpus meum, &c.

Mei fanatici faciunt hac sua nausea παρασκευὴν ad negandum Christum, Deum, & omnia simul, quẽadmodum iam aliqua ex parte incipiunt prorsus nihil crede-

re,

re. Cõparant enim se ad humanæ rationis arbitrium, ꝙd egregiẽ ipsis imponet &c. Et iterum.

Sed obijciũt, credimus quidẽ, ꝙ potẽtia Dei sit ubiq; Hinc aũt non sequit, ꝙ diuina eius essentia, aut dextera eius sit ubiq;. Respondeo: Credo & ego ꝙ in recessu & latebris cordium uestrorũ nihil quicq; nec de Deo, nec de potẽtia eius credatis. De qua re etiam certus sum &c.

Et in postrema breui Confessione.

Etsi (Cingliani) plurimum gloriantur, ꝙ hunc articulum de persona Christi credant, & multa de hac re garriant, tñ noli uerbis eorum fidem adhibere. Reuera. n. omnia mẽtiuntur, quæcunq; de his rebus effutiunt. Ore quidem confitentur (sicut & Satan in Euangelio uocat Dñm, filium Dei) cor aũt eorum longè est ab eo. Mat. 15. Hoc certũ est &c. Hactenus Lutherus. Nos quidem libenter amplectimur, ꝙd Cingliani, autoritate sacræ scripturæ, de æterna diuinitate filij Dei confitẽtur, & speramus eos Arianismum, & quicqd est id genus hęreseon, ex aĩo detestari. Sed cũ Luth. fuerit acutissimus spiritũ discretor, & Cingliani non uereantur omnipotentiam Dei physicis suis rationibus metiri, ac suã filio Dei maiestatẽ detrahere, metuendũ est, ne, cum Satã inueniat domum scopis mundatã, adducat secum septem alios spiritus nequiores. Primũ ergo omnium, postq; instituimus diuina clementia adiuti iterum explicare ueram sententiam incarnatiõis (sic. n. libuit maioribus nostris loqui) Christi filij Dei, ascẽsus eius in cœlũ, & sessionis eius ad dextrã Dei patris sui omnipotẽtis, qua sentẽtia rectè explicata, uera & substãtialis corporis ac sanguinis Christi præsentia in cœna perspicuè statuit: nõ est uisum, in præsentia farragine eorum dictorum scripturæ, quæ incarnationẽ Christi seu assumptionem, sicut Athanasius loquitur,

quitur, humanitatis in Deũ teſtificantur, commemora re. Contenti in prẽſentia erimus unius ac præcipui dicti recitatione & explicatione. Verbũ (inquit Ioannes Apoſtolus & Euãgeliſta) Caro factũ eſt. Nec dubiũ eſt, quin in hoc dicto nomine VERBI, ſeu ut Græcè dicit, τοῦ λόγου, intelligat ſecunda perſona in una Deitate, unigenitus uidelicet Filius Dei, uerus ab æterno Deus, ineffabiliter à Deo Patre ſuo genitus. Nomine aũt carnis intelligatur non una tantũ pars hominis, ſed totus homo, corpore & anima rationali conſtans. Quod igitur Euangeliſta dicit, Verbum caro factum eſt, ſignificat filium Dei factum eſſe hominem. Hinc ſunt locutiones illæ, Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Ac iterũ: Totus Deus eſt homo, & totus homo eſt Deus. Quid aũt hoc? Num illud dicitur, diuinitatem filij Dei mutatam eſſe in humanitatem? aut humanitatem conuerſam eſſe in diuinitatem? Nihil minus. In incarnatiõe enim Chriſti, ſicut eſſentia diuinitatis, quæ eſt ſimpliciſsima & nulli mutationi obnoxia, manſit inuiolata, ita etiam eſſentia humanitatis, quæ cõſtat anima rationali & corpore, mãſit immutata. An illud dicitur, diuinitas & humanitas in Chriſto ſunt ita cõfuſa & commixta, ut ſicut aqua & uinum cõmiſceri ſolẽt, ita illa inter ſe confundant? Ne hæc quidem eſt ſentẽtia. Ex diuinitate.n. & humanitate non fit una natura, ſed ſunt & manẽt duæ diuerſiſsimę naturæ. An fortaſsis illud intelligitur, diuinitatem Chriſti, humanitatem ita ſibi adiunxiſſe, ut tamẽ ſingulæ ſubſtantiæ ſeu naturę, ſint ſingulę perſonæ? Hoc Neſtorianum eſt, & abominandum. Quid ergo eſt, Verbum factum eſt caro, ſeu, Deus factus eſt homo, aut Deus eſt homo? Certè ſi Ariſtoteli, hoc eſt, humanæ rationi, ſua axiomata huc conferenti, & expendenti, hoc propoſueris, multo abſur-

to absurdius uidebitur, quàm si dixeris, Homo est asinus, aut Leo est ceruus. Longius enim inter se distant Deus & homo, quàm homo & asinus, aut Leo & ceruus. At si intuearis oracula Spiritus sancti, quæ in Prophetícis & Apostolícis scríptis extant, nihil uerius, nihil certius esse credendum est. Ne quis autem cæco impetu feratur, non tantum uerba huius oracúli numeranda sunt: sed etiam uera eius sententia, quatenus quidem eam Spíritus ipse sanctus in suis scríptis exposuit, ponderanda est & cognoscenda. Itaq; uisum est hîc initio recitare Canonem concilij Chalcedonensis, quem & in prióre libello, de Personali unione duarum naturarum in Christo, recitaueram, & quem omnes pij & orthodoxi fatentur clarè & disertè sententiam illius dicti, Verbum caro factum est, exponere.

Concilium Chalcedonense circiter annum Christi 430.

Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum ante secula quidem, de Patre genitum secundum deitatem, in nouissimis autem diebus, eundem propter salutem nostram ex Maria uirgine θεοτόκῳ, secundum humanitatem, unum & eundem Christum Dominum filium unigenitum, in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabilter, agnoscendū, nusquàm sublata essentia naturarum propter unionem, magísq; salua proprietate utriusq; naturę, & in unam personam, atq; exístentiam, concurrēte, non in duas personas partitum atq; diuisum, neque disiunctum, sed unum eundemque filium unigenitum.

Hactenus Concilium Chalcedonense.

Quod igitur Euangelista dicit, Verbum caro factum est, & quod alia loca scripturæ de incarnatione

Christi loquuntur, hoc synodus Chalcedonensis expo/nit, ꝙ in Christo duæ naturæ seu substãtiæ, Diuinitas uidelicet & humanitas, ita cõueniant & inseparabiliter uniantur, ut non sint duo filij, sed unus, nec duo Christi, sed unus, nec duæ personæ, sed una tantum persona. Cùm autem hæc synodus tribuerit Christo nomen personæ, nec id temerè, absq; scripturæ autoritate fecerit, uidendum est unde id sumpserit. Ac manifestum est, quòd in scriptura sæpe fiat mentio προσώπου seu personæ, præsertim in ijs locis, in quibus prædicatur. In iudicio non esse personam hominis respiciendam, unde & προσωπολη/ψία, hoc est, personæ accepto seu respectus dicitur. Sed si nullum aliud huius uocabuli exemplum in sacris literis extaret, uix uideri posset, quòd ex illis locis attributum fuisset Christo. Sunt igitur alia loca perquirẽda. Et ecce apud Paulum, in posteriori Epistola ad Corinthios cap. 1. dicitur. Vt ἐκ πολλῶν προσώπων, hoc est, ex multis PERSONIS, pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis. Hîc nomen personæ, pro homine per se subsistẽte sumitur. Et de Christo ipso, cap. 2. in eadem Epistola dicitur: Si quid condonaui, cui condonaui, propter uos condonaui ἐν προσώπῳ χριστοῦ, hoc est, in persona, seu nomine Christi. Et cap. 4. Deus est, qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, ἐν προσώπῳ, hoc est, in persona Iesu Christi. Sed undecũque hoc uocabulum sit acceptum, & Christo attributũ, certe ad explicandam ueram rationem Christi aptissimum est. Sicut enim homo quispiam, persona dicitur, quòd sit una indiuidua, è duabus diuersis naturis, corpore & anima rationali, constans, substantia, ita Christus constans ex diuinitate & humanitate, diuersissimis qui
dem

dem naturis, una autem subsistentia, rectè dicitur perso-
na. Solet & nomẽ ὑποστάσεως, quod subsistentiam signi-
ficat, pro persona usurpari, idq; ex illo (nisi fallor) episto-
læ ad Hebræos loco, quo filius Dei dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑ-
ποστάσεως αὐτοῦ, hoc est, expressa imago subsistẽtię eius,
unde & in una deitate tres dicuntur ὑποστάσεις, hoc est,
personæ per se subsistentes. Similiter coniunctio diuini
tatis & humanitatis in Christo uocari solet unio ὑποστα-
τικὴ, hoc est, subsistentialis, seu personalis. Hæc idcirco
usum est recitare, ut cognoscatur, ueteres non pro suo
arbitrio, sed autoritate sacræ scripturæ tribuisse Christo
nomen personæ.

Deinde in expositione huius dicti: Verbum caro fa-
ctum est, synodus Chalcedonẽsis (quo nomine ueteres
orthodoxos complector) diuinitatem & humanitatẽ in
Christo ita coniungit, ut Christus sit ἀσυγχύτως, ἀτρε-
πτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, hoc est, inconfuse, immutabili
ter, indiuise, & inseparabiliter una persona. Quid autem
hoc aliud est, q̃ si diceretur, diuinitatẽ & humanitatem
in Christo ita unitas esse, ut nec diuidi unq̃, nec separari à
se inuicẽ queant? Tam firma.n. est hęc unio, ut eam iam
inde ab incarnatione, nullum nec tẽpus, nec locus, nec
mors, nec uita, nec angeli, nec principatus, nec potesta-
tes, nec instantia, nec futura, nec altitudo, nec profundi-
tas, nec ulla alia creatura disiungere ac diuellere possit.
Quæso igit̃ te, amiciss. mi lector, reputa mihi cũ animo
tuo, an nõ is, q̃ pio est & sano intellectu, ac ex animo cõ-
fitetur diuinã & humanã naturam in Christo esse inse-
parabiliter in una persona coniunctas, necesse habeat e-
tiam sentire & confiteri, q̃ ubicunq; est diuinitas Chri-
sti, ibi etiam sit humanitas eius? Si em̃ hæc sunt semper
inseparabiliter in Christo coniuncta & unita, quomo-

do alicubi poteſt eſſe diuinitas Chriſti abſq; humanitate eius? Neq; enim filius Dei ſic aſſumpſit Filium hominis in unam perſonam, ut alicubi quidem eſſet Deus & homo, alicubi autem Deus tãtum: ſed potius ut ubicunque eſt, uerus eſſet & totus Chriſtus, uerusq; Deus & homo. Quare qui Chriſtum ita diuidunt ac ſeparant, ut in uno tantum loco coniungant diuinitatem & humanitatem eius, in aliꝭs aũt omnibus locis collocent, dunta/xat diuinitatem eius, adeoq; illam ab hac tãta locorum intercapedine ſeiungant, quantum ſupremum cœlum à terra diſtat, hi effugere profectò non poſſunt, quin in latebris cordium ſuorum, faciant, (quod in ipſis eſt) ex
Fol.10. Chriſto duas perſonas, alicubi quidem Deum & hominem, alicubi autem Deum tantum. Sufficit (inquit Martyr) deitatem quamuis immenſam & infinitãm, ſua hypoſtaſi fulcire ac ſuſtentare humanitatem, ubicunq; illa fuerit. Vnde licet corpus Chriſti ſit in cœlis, nec amplius uerſetur in terris, nihilominus tamen filius Dei cum eſt in Eccleſia, & tandem ubiq;, nunquam ſic eſt expers humanæ naturæ, quin eam in loco, ubi ipſa eſt, habeat inſitam ſibi, & in ũnitate perſonæ coniunctam. Hactenus Martyr. Hoc autem, ſi penitius inſpexeris, quid, obſecro, aliud eſt, quàm non ſolum ex Chriſto duas facere perſonas, uerum etiã Chriſtum in ordinem ſanctorum hominum redigere, adeoq; ipſum uerum eſſe Deum, apertè negare? An non. n. filius Dei, qui eſt uerus Deus ab æterno à Patre ſuo ineffabiliter genitus, implet ſua præſentia, eſſentia & potentia cœlum ac terram, & omnia quæ in eis ſunt? Itaq; implet etiam homines pios & Sanctos, idq; non uulgari tantum modo, quo reliquas creaturas, uerumetiam ſingulari inhabitationis gratia. Quid igitur eximij habet homo Chriſtus, (quod quidẽ

ad

ad diuinitatis præsentiam & potentiam attinet) ab unigenito filio Dei, præ reliquis Sãctis, Petro uidelicet aut Paulo? Sufficit (inquit Martyr de Christo) deitatẽ, quamuis immensam & infinitam, sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem, ubicunq; illa fuerit. At sic etiam filius Dei, fulcit & sustentat sua hypostasi, (Est enim secunda in una Deitate hypostasis) humanitatem Pauli, ubicunq; ea fuerit. Humanitas enim Pauli non posset uel uno momento consistere, aut cõseruari, nisi diuina Potentia & præsentia fulciretur ac sustentaretur. Et corpus Pauli, uersatur quidem apud Philippenses aut Romanos, nec interea est in alijs locis siue supra in cœlo, siue infra in terris, nihilominus tamẽ filius Dei, cum est in Ecclesia, adeoq; ubiq;, nunquàm sic est expers humanæ naturæ Pauli, quin eã in loco, ubi ipsa est, siue apud Philippenses, siue apud Romanos habeat insitam sibi, & indissolubili uinculo cõiunctam. Siue enim Paulum intuearis adhuc uiuẽtem in his terris, siue mortuum in Christo, certè filius Dei diuinitate sua ita ei coniunctus & unitus est, ut & uiuentem uiuificet, & mortui tam animã conseruet, quàm exuuias, quamuis in puluerem redactas, usq; ad resurrectionem essentia & potentia sua præsentissimus custodiat. Paulus cum esset apud Philippenses scribit ad Corinthios: Ego quidem (inquiens) ut absens corpore, præsens autem spiritu, iam decreui &c. 1. Cor. 5.

Et ex Roma ad Colossenses, Quãuis (inquit) carne sum absens, tamen spiritu uobiscum sum. Cùm autem Cingliani non sublimius sentiãt de Christo, quàm quòd sit corpore suo in uno tantum loco cœli collocatus: Interim autem inuisat spiritu suo Ecclesias in his terris, an non redigunt eum in ordinem Pauli, aliorumq; hominum sanctorum, ut nõ alio modo Deus dicatur, quàm Colos. 2.

Paulus dici posſit: Non dubito, quin uerbis ſuis, quàm contentiſsima poſſunt uoce, ſint reclamaturi, Sed ſi ſententiam eorum, quam ſpiritus Dei, qui etiam profunda ſcrutatur, in cordibus ipſorum uidet, conſideraueris, obſcurum non eſt, quòd aliud uerbis loquantur, aliud in receſſu animorum ſentiant.

Filius Dei conceptus eſt homo in utero Virginis mirabili Dei præſentia & potentia. Sed & Paulus mirabili Dei præſentia & potẽtia in ſuæ matris utero conceptus eſt. Etſi enim filius Dei conceptus eſt in ſua matre abſq; uirili ſemine, & ſine peccato, tamen nunc non eſt ſermo de modo conceptionis, & concepti hominis qualitate, ſed de æterni filij Dei in conceptione præſentia & potentia, qua & homo Paulus conceptus eſt. Dicit quidem Dauid: Ecce in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, quod de Chriſto dici non poteſt: in alio autem Pſalmo ille idem Dauid dicit, Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Et mox: Tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de urero matris meæ. Gratias tibi ago, quoniam mirabiliter me feciſti. Mirabilia ſunt opera tua, id quod anima mea probè cognoſcit. Non eſt occultatum os meum à te, cùm formarer in abſcondito, & in utero matris. Imperfectum meum uiderunt oculi tui &c. Audis igitur Dauidem, & nomine Dauidis, Petrum, Paulum, & alios homines, ac præſertim ſanctos, ſingulari Dei præſentia & potẽtia in utero matrum conceptos, ſicut & de Hieremia dicitur: Priuſquàm te formarem in utero, noui te, & anteq; exires de uulua ſanctificaui te. Et apud Paulum: Elegit nos in ipſo antequàm iacerentur fundamenta mundi. Filius Dei homo factus, multa & magna, adeoq; miranda opera ædidit. Dæmonia eiecit: Cęcis reddidit uiſum:

Claudos

Claudos ſanauit, Leproſos mundauit,& quod eſt admirabilius,mortuos excitauit. Sed & Paulus ædidit miracula,nec Dęmonia tantum eiecit,& mortuos excitauit, uerumetiam tanta fuit autoritate , ut & ſuper infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicincta,& recederent ab eis morbi,ac egrederentur ſpiritus mali.Similiter de Petro quoq; dicitur, quòd homines exportauerint infirmos in plateas,& poſuerint in lectulis ac grabbatis,ut ueniẽtis Petri,uel umbra obumbraret aliquem illorum. Dices, quod Chriſtus fecit,propria uirtute fecit.Quod autem Petrus & Paulus fecerunt , aliena uirtute fecerunt. Quin imò,quod fecerunt tam Chriſtus,q̃ Petrus & Paulus,hoc fecerunt uirtute DIVINA, eaq; non abſenti,ſed omnino præſenti, & qua non minus,ſi eſſentiam & potẽtiam eius reſpexeris,impleti erant Petrus & Paulus,quàm Chriſtus ipſe. Si enim Diuinitatẽ Chriſti conſideraueris , ſimpliciſsima eſt,& ubicunque eſt,ibi tota eſt.Chriſtus reſurrexit à mortuis diuina uirtute.Hunc Ieſum,inquit Petrus,ſuſcitauit DEVS, Et, Dextera Dei exaltatus eſt.Sic reſurgent etiam Petrus& Paulus diuina uirtute, eaq; non longè abſenti,ſed omnino præſenti , qua & interea in morte ad reſurrectionem conſeruantur. Dicito ergo mihi,quæſo, quod eſt diſcrimen inter Chriſtum,& Petrum ac Paulum? Reſpondes quidem,filium Dei iunxiſſe ſibi filium Mariæ uirginis in unitate perſonæ, non autem ſic uniuiſſe ſibi Petrum aut Paulum.Rectè.Sed quid eſt illud:In unitate perſonæ? An non filius Dei ab æterno à Patre ſuo genitus,uerè Secunda eſt,in una deitate,perſona,qua & omnibus rebus ita præſto adeſt, ut abſq; præſentia & potentia eius nihil rerũ conſiſtere poſſet? Quid igitur prohiberet, quo minus dicatur Filius Dei cum omnibus

rebus

rebus creatis personaliter unitus esse? Certè si sententiã Martyris, quam suprà cõmemorauimus, de unione personali, rectè introspexeris, talem facit unionẽ filij Dei, et filij Mariæ uirginis, qualis est filij Dei, & omnium creaturarum, aut saltem Petri, Pauli, & aliorum sanctorum.

Fol. 10. Sic enim collocat humanam naturam Christi in cœlo, ut filius Dei in eo tantum loco, ubi est ipsa, habeat sibi eam insitam, & in unitate personæ cõiunctam. At sic natura cuiusuis hominis nũc in cœlo existentis, ut Moysi (exempli gratia) & Eliæ, & omnium eorum, qui in die Paschæ cum Christo resurrexerunt, insita est filio Dei, & ipsi in unitate personæ coniuncta. Quæ enim Diuinitas est in Christo personaliter, (sicut paulo antè exposuimus) præsens, & omnia in terris gubernat, ea dē etiam est in Mose, Elia, & alijs sanctis in cœlo, ac interim uniuersa in terris gubernat. Quare, nisi Cinglianì unionem personalem in Christo ita definiant, ut ubicunq; siue in cœlo siue in terra fuerit deitas Christi, ibi habeat sibi inseparabiliter coniunctã & unitam suam humanitatem, fieri non potest, quin non solum faciant ex Christo duas personas, aut duos Christos, uerumetiam redigant eum in ordinem aliorum sanctorum, & negent eum esse uerum Deum. Nõ ignoro Cinglianos in explicatione personalis unionis duarum naturarum in Christo mirificè sibi, in exemplo solis & radiorum, blandiri, quòd sicut corpus solis in uno tantũ cœli loco est, & tamen spargit undiquaq; suos radios, ita & corpus Christi sit in uno tantum cœli loco, cùm diuinitas eius in omnia loca diffundatur. Hæc certè aptissima esset similitudo, si prius probatum esset, quòd quemadmodum radij solares habent originem suã è corpore solis, ita & diuinitas Christi haberet originem suam ex humanitate. Quid autem magis

magis impium dici posset? Posset quoq; uideri locum habere, si corpus solis & radij eius, una essent inseparabilis & indiuisibilis, ex duabus diuersis naturis constans, persona. Nunc autem, nec sunt una persona, nec sunt diuersæ naturæ. Quid igit̃ ad unionem illam duarum diuersarum naturarum in Christo? Sed accedo nũc ad collationem, qua Athanasius Christum cum homine confert. Nam quod Martyr de trunco arboris in radice, & de astris in orbibus suis, disputat, nihil ad nos. Similitudinem personæ Christi, cum præsentia hominis inspiciamus. Sicut anima rationalis (inquit Athanasius) & caro, unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Quemadmodum igitur fieri non potest, ut si alicubi fingatur substãtia animæ tantum absq; corpore, alicubi autem substantia animæ & corporis simul, maneat unitas personæ hominis, ita non potest fieri, ut constet personæ Christi unitas, si post incarnationem alicubi diuinitas eius cum humanitate, alicubi diuinitas tãtum absq; humanitate, idq; tãto interuallo seiuncta, quantum est inter supremum cœlum, & infimam terram, ponatur. Hic uerò exultat Martyr, existimans se oportunam inuenisse rimam, qua elabatur. Contemplemur, inquiẽs, humanum corpus, id certè unum est, nec eius partes diuersam hypostasin habent, nec tamẽ est necesse, ut ubi est caput, ibi sint pedes, nec ubi sunt pedes, ibi sit cor &c. Primum, si fingit corpus humanũ esse personam, absq; anima, insanit. Deinde, si fingit animam hominis & pedes eius, similiter animam hominis & manus aut caput eius esse personam, opus habet Elleboro. Tot enim fingit in uno homine personas, quot sunt in corpore eius membra. Nec Athanasius autem, nec nos fingimus animam hominis constituere singulas cum singulis mem

bris personas, Sed animam hominis & corpus eius esse unam tantum & indiuiduam seu inseparabilem personam, qua fit, ut dum homo est homo, necessarium sit, ibi esse corpus, ubi est anima, & ibi esse animam, ubi est corpus. Potest quidē anima cogitatione sua uagari per uniuersum orbem, relicto interim corpore in uno loco: Substantia autem seu essentia animæ, incolumi hominis persona, à corpore nunq̄ abest. Quare sicut personalis unio animæ & corporis in homine ferre non potest, ut alicubi ponas corpus & animā simul, alicubi autem animam tantum absq; corpore: ita personalis unio Dei & hominis in Christo nō potest ferre, ut in uno tantum loco ponas diuinitatem & humanitatem, in omnibus autem alijs locis solam diuinitatem. Ac profectò uerissimū est, quod Martyr hoc loco addit, Vnio (inquiens) in eadem hypostasi, diuersitatē locorū non tollitur. Vides, ueritatē excidisse ei, credo, imprudenti. Nulla enim locorum diuersitas tanta est, ut possit personalem diuinitatis & humanitatis unionem in Christo ita tollere, ut alicubi sit diuinitas, ubi non secum in eo ipso loco (etsi ineffabili modo, sicut postea sequetur) habeat coniunctam & unitam suam humanitatem. Nam quòd in definitione personæ, qua dicit, personam esse indiuiduam rationalis naturæ substantiam, pro indiuiduo intellígit,
Fol. 16. quod nō possit diuidi in singularia, quid hoc ad institutum? Si enim persona sic indiuidua substantia dicitur, quòd non diducatur in singularia, quemadmodum genus & species, certè etiā si indiuidua dicitur, quòd non possit, manente unitate eius, in uarias partes dissecari, & in uaria loca dispergi, ut alicubi duabus partibus, alicubi una tantum constet. Quid multis opus? ut sciamus q̄ probè sibi Cingliani constēt, Martyr postea scribit: Frustra,

ſtra, inquiens, omnia hæc abs te interponunt, quia non ſemel dedi, ubicunq; fuerit diuina hypoſtaſis, eam habere ſibi coniunctam humanitatem. Si ergo das, Martyr, quòd ubicunq; fuerit diuina filij Dei hypoſtaſis, habeat ſibi coniunctam humanitatem eius, certè neceſſariò ſequitur, quòd humanitas Chriſti ſit ubiq;. Negari enim non poteſt, quin ea hypoſtaſis, quæ ſibi humanitatem in inſeparabilem & indiuiſibilem perſonæ unitatem copulauit, ſit ubiq; & omnia impleat. Sed quod Martyr una manu porrexit, altera iterũ auferre uidetur. Mox em addit: Cùm tamen (inquiẽs) humanitas ad tot loca non pertingat, quot diuina hypoſtaſis implet, nec tamẽ propterea ſoluitur unio. Hactenus Martyris uerba. An uerò non uides Martyrem ſibi in hoc negotio non conſtare? Si diuina hypoſtaſis (quo nomine intelligo hoc loco perſonam filij Dei) ubicũq; fuerit, habet ſibi coniunctã humanitatem, quomodo, obſecro, humanitas Chriſti non erit, ubicunq; fuerit diuinitas eius? Hæc autem implet cœlum & terram. Quomodo igitur non haberet ſibi coniunctam humanitatem, tam in cœlo, q̃ in terra? Cùm autem addit, quòd humanitas nõ pertingat ad tot loca, quot diuina hypoſtaſis implet, ſi intelligit humanitatem Chriſti non pertingere ad omnia loca corporali, mundano, & locali modo, qui cum pugnat? quid uociferatur? quid iſta loquacitate opus? Quis enim eſt, qui humanitatem Chriſti corporali & locali modo in omnia loca extendit, aut cum diuinitate, ut ipſorum uerbo utar, coextendit? Ne diuinitatem quidem ipſam extendimus in omnia loca craſſo, carnali & locali modo, qua igitur ratione ſic coextenderemus humanitatem cum ipſa unitam? Non ignoro ueteres quoſdam, cum de diuinitate omnia implente loquuntur, uerbis extenden- Fol. 63.

di,coextendendi, ac etiam diffundendi usos, sed obscurum non est,quòd his uerbis,in hac quidem re, sint metaphoricῶs seu figuratè abusi. Sicut enim diuinitas dicitur quidem omnia implere,non autem intelligendum est de crasso,& corporali modo implendi:ita etiam dicitur in omnia loca extendi,aut diffundi,non autem mũdano,& locali modo. Diuinitas enim res est simplicissima,& ubicunq; est,ibi TOTA est,ut nequaquàm crasse aut localiter extendatur & diffundatur. Quàm insignem igitur nobis faciunt iniuriam, ne quid durius dicam,Cingliani, quòd non uereant publicè nos infamare, perinde ac si humanitatem Christi cum diuinitate eius coextẽderemus? Non extendimus, quẽadmodum paulo antè diximus,diuinitatẽ,quomodo igitur humanitatẽ cum ea COEXtenderemus? Si autem Martyr intelligit humanitatem Christi, in uno tantum loco coniunctam cum diuinitate, in alijs uerò locis solam esse diuinitatem,qualis est iste Proteus? quæ uerborum ludibria? Si hoc sentit,ut certè sentit,(hoc ipso redigẽs Christum in ordinem aliorum sanctorum, qui & ipsi habẽt diuinitatem sibi in uno tantum loco coniunctam)quid est,q; non uereatur scribere,se dare, idq; non semel, VBICVNQVE fuerit diuina hypostasis,eam habere sibi coniunctã humanitatem? Nisi fortè in hoc dicto suo intelligat nomine diuinæ hypostaseos, non tantum secundam personam in diuinitate,uerumetiam diuinitatem cum humanitate in Christo,ut sentiat,quòd ubi est totus Christus,ibi sit etiam humanitas eius. Si ergo hęc est sententia eius, Quis nescit, quòd ubicunq; est Christus Deus & homo,ibi etiam sit homo? Sed uideamus nunc, quæ obijcere soleant. Fatemur quidem(inquit) Christum esse unam personam,eamq; omni maiestate Dei

Dei ornatam, addimus autem correctionem, uidelicet, Fol.16.
quantum eius fert natura. In Christo enim sunt duæ di-
uersissimę naturę, diuina & humana, quarum altera est
infinita, altera finita, quæ si minimè fert ut spiritus diui-
nus fiat, nec etiam patitur ut sit immensa, cum dari non
possit immensum corpus. Nam oportet, uelis, nolis, ut
longitudine, latitudine, & altitudine terminetur. Non
enim reipsa poterit aliter constare, &c. Hæc & id genus
multa alia solent nobis magno fastu obiicere, inculca-
re, iterare, & nusquam non obtrudere. Etsi autem ea scri
ptis Lutheri aduersus Sacramentarios, & aliorum no-
strorum ita sunt explicata, ut mirãdum sit, qua illi teme
ritate & incogitantia audeant ea tanq̃ noua, inaudita, &
inexplicata, in publicum reuocare, tamen, cùm ipsis li-
bet ueteres suas nænias repetere, non pigebit nos uete-
res quoq; refutationes in mediũ afferre, præsertim cum
his temporibus addant horribilem uocem aduersus o-
mnipotentiam Dei, & uociferentur: Nulla ui (hoc est) Fol.6.
ne omnipotenti quidem uirtute Dei fieri posse, ut cor-
pus non sit in loco, aut ut sit simul in pluribus locis, seu
ubiq;, aut nõ terminet longitudine, latitudine, & altitu- Fol.16.
dine. Cogita ergo mihi, quàm malignè sentiãt illi de no
stro uel studio uel ingenio, quòd existimẽt, primũ, nos
ignorare aut oblitos esse, quid Physica aut Mathemati-
ca de natura corporum, iuxta huius seculi rationem, do
ceat. Deinde, nobis ignotum esse, quòd persona Christi
constet duabus diuersissimis naturis. Quis rerum non
omnino imperitus illud ignorat? Quis piorum hoc ne
gat? In præsentia autem, non disseritur de corpore hu-
mano simpliciter, sed de corpore, quod filius Dei sibi
personaliter uniuit. Etsi enim diuina & humana natura,
sunt inter se diuersissimæ substantiæ, quippe quòd alte-

ra ſit ſpiritus creator, & infinitus ac immenſus, altera corporea creatura, finita & dimenſa, tamen hæ duæ naturę ſeu ſubſtantiæ in Chriſto ita conueniunt & uniuntur, ut non duas perſonas, ſed unam tantum conſtituant. Nec in uno tantum loco ſint unitæ, ſed ubicunq; eſt diuina filij Dei natura, ibi ſecum habeat humanam naturam inſeparabiliter, & indiuiſibiliter coniunctam. Si enim in uno tantum loco diuina natura Chriſti haberet ſibi unitam humanitatem, & in omnibus alijs locis, ſola diuina natura conſiſteret, quid rogo Chriſtus, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, differret à reliquis Sanctis, imò etiam à quibuſuis hominibus? Nam diuina natura filij Dei, ſicut implet cœlum & terram, præſentia, eſſentia, & potentia ſua, ita etiam implet omnes homines, ac interea relinquit unūquemuis in ſuo certo ac circumſcripto loco. Quare, nihil filius Dei copulauerit ſibi hominem, quem ſibi uniuit, multò arctius & præſentius, q̄ alios homines, euitari non poteſt, quin aut ſentias Chriſtum non eſſe uerum Deum, aut neceſſe habeas alios quoq; homines dicere ueros eſſe Deos. In philoſophica diſciplina manifeſtum eſt, quòd finiti ad infinitū nulla ſit proportio. Si autem hanc rationem ſequaris, ne unq̄ quidem concedes filium Dei eſſe incarnatum, aut diuinam naturam uniuiſſe ſibi humanā perſonaliter. Quare, etſi maxima omnium eſt harum duarū naturarum inter ſe diuerſitas, tamen in perſona Chriſti ſunt ita unitæ, ut altera ab altera nūquàm in ullo loco ſeparari queat. Et ſi aliquoties in hac perſona, docēdi gratia, ſeparantur, non loco, ſed ſolo intellectu ſeparantur. Quid interea ad me, quod philoſophi dicunt, Finiti ad infinitum nullam eſſe proportionem? Non iam ego in philoſophia, ſed in Theologia uerſor, in qua ſpiritus ſanctus docet,

cet, Verbū esse carnem factū, hoc est, filiū Dei ita sibi humanam naturā uniuisse, ut sit una tantū, eaqꝫ perpetuo inseparabilis persona. Diuersissimæ quidē sunt inter se naturæ, sed in Christo inseparabiliter unitæ. Quæ unio, ut pugnat cū uniuersa humana philosophia, ita est miraculum oīa reliqua admirabilitate sua excedens. Non est obscurum, qꝫ non diuina, sed tātum humana natura sit obnoxia passioni & morti. Et tñ in passione & morte Christi diuina natura, q̄ in secst impassibilis & immortalis, tam præsenter affuit humanę naturæ patienti & morienti, ut ne tunc quidē personæ unitas sit separata. Nec affuit tm̄ sicut Stephano, aut Petro, aut Paulo morienti, sed ita personaliter affuit, ut uerè dicaſ, Deū ipsum esse passum ac mortuum. Videamus, inquit Cyrillus, ipsam hominis animam, si qd corpus passum fuerit, extra passionem quidem manentem, quantū pertineat ad naturam, attamē NON EXTRA PASSIONEM ESSE intelligi, eo qꝫ proprium sit corpus ipsius, quod patitur, & licet incontigua sit & simplex tñ id q̄d patitur, nō alienum est. Sic intelligas etiam de Christo omnium saluatore (utar aūt exemplis, quæ quasi per ænigmata nobis possunt ostendere) qꝫ communicarit quidē passioni unigenitus, quātum pertinet ad familiaritatē corporis sui, manserit aūt passionis expers, ut Deus. Et iterum: Affirmamus propter familiaritatem quidē carnis eum infirmitates fuisse perpessum, seruasse uerò suæ naturæ impassibilitatē. Hic rectè & piè docet Cyrillus, qꝫ Deus natura sua nihil patiatur, & tñ propter familiaritatē carnis cōmunicarit passioni, & perpessus sit infirmitates. Idem dicendum est de præsentia humanitatis Christi in cœlo & in terra. Etsi enim solius diuinæ naturæ est implere cœlum & terram, tamen quia hæc natura uniuit sibi in Christo

Cyrill. de Incarnatio ne unigeniti cap. 26.

Cap. 27.

Christo per incarnationem, humanam naturam personaliter, idcirco etiã humana natura uerè dicitur cœlum & terram implere, non quidem ex se ipsa, sed propter personæ unitatem. Disputet interea Philosophia quo modo natura finita & circumscripta possit uniri naturę infinitæ & incircumscriptæ, nihil ad nos. Eadem enim ratione disputabit, quomodo Deus possit esse homo, & homo Deus. Ac profectò ne hac quidem in parte obscurum esse potest, quòd cùm solius Dei sit, cœlum & terram implere, & illi negent hominem Christum implere cœlum & terram, nõ rectè intelligant, quid sit, hominem esse Deum, de qua re fortasis postea plura.

Hæc & id genus alia, quæ ad hanc rem attinent, cùm in priori libello de unione personali satis pro mea tenuitate luculenter exposuerim, non tamen potuerunt nec Martyrem, nec Bullingerum permouere, ut excitarentur ad personalẽ unionem duarum naturarum in Christo rectè & piè expendẽdam. Vociferantur enim, se nullo modo facere ex una persona, & ex uno Christo, duas, Sed unitatem personæ ita retinere, ut tamen retineant etiam naturarum diuersitatem. Hic etiam Bullingerus sibi, ut aliâs sæpe, triumphum decernit & trophæum erigit, ac uult pro repetitis habere, quæ antea è Vigilio ac Theodoreto recitauit. Denicq; hortaĩ Brentium, ne ipsi graue sit, à tantis uiris discere, ac scrupulum suum deponere. Quin illud dicis Bullingere, Quid, nisi uictis dolor? Et Io triumphe. Sed primũ, memineritis uos Cingliani, quod iudicium Lutheri (illius uidelicet uiri, quẽ ne uos quidem diuinitus, ad præferẽdam nobis facem cognoscendæ ueræ piæ doctrinæ excitatum negare audetis) de uobis publicè extet, qd & suprà recitauimus. Etsi (inquit ille) Cingliani plurimum gloriantur, quòd hunc

hũc articulum de persona Christi credant, ac mũlta de hac re garriant, tu tamen noli uerbis eorum fidem habere. Reuera enim mentiuntur, quęcunq; de his rebus effutiunt, &c. Deinde quod ad me attinet, nõ opus fuisset ista Bullingeri insolentia, quia ita mihi insultat, perinde ac si ueterum patrum lectionẽ aspernarer. Amo enim ueteres scriptores, ut qui maximè, & quid de ipsis sentiam, existimo pijs non esse ignotũ, sed habent illi suum, eumq; non supremum in Ecclesia gradum, ut primum omnium discenda mihi sit pia doctrina nec à Vigilio, nec à Theodoreto, sed à Christo filio Dei, de quo Pater cœlestis dixit, HVNC AVDITE, & cuius uox in scriptis Propheticis & Apostolicis extat. Hæc illa sunt scripta, quæ possunt mihi molestos scrupulos eximere, & quæ me in hac canicie ad refutanda uestra absurda dogmata alacrem effecerunt. Post hæc soleo etiam libenter tam ueteres quàm alios Ecclesiasticos scriptores in consilium adhibere. Sed quid? Num quia deferenda est eis sua honorificentia, quemadmodum Augustinus loquitur, idcirco in uerba eorum iurandum est? Certè nemo maiori contumelia eos afficit, quàm hi, qui ad stabiliendos errores suos, autoritate eorum abutũtur. Cuius rei exemplum est Bullingerus ipse. Recitat testimonia Vigilij & Theodoreti, qui ut rectè in his locis distinctas naturarum proprietates in Christo commemorant, ita prorsus nihil ad confirmãdum somnium Bullingeri faciunt. Quis enim nostrum unquàm negauit proprietates duarum naturarum in Christo esse distinctas? Sed illud negatur, has diuersas naturarum proprietates, esse diuersis personis & locis distinctas. Vna enim est persona Christi. Et in hac una persona dissimiles proprietates inseparabiliter ita coniunctæ sunt, ut haud quaquam lo-

co, ſed tantum intellectu diſtinguantur. Cùm naturæ (inquit Nazianzenus) intellectu diſtant, ſimul diuiduntur etiam nomina. Et Gregorius Nyſſenus: Intellectu (inquit) diuidente hoc, quod per miſericordiam quidem unitum eſt, ratione autem diſcernitur. Et in Secũda Synodo Nicæna, Epiphanius quíſpiã, Catholica, inquit, Eccleſia à confuſione alienam Vnitionem cõfitetur, & NATVRAS SOLA CONſideratione indiuiſim diſtinguit. Vos uerò Cingliani, nõ intellectu tantum, uerumetiam loco, adeoq; perſona diſtinguitis. Collocatis enim Chriſtum in cœlo diuinitate & humanitate, in terris autem tantum diuinitate. An hoc non eſt facere duas (quod in uobis eſt) perſonas? An non hæc ſunt diſtantiſsima loca? Credimus Eliam unà cum corpore ſuo uiuere cũ Chriſto, in cœleſti regno, quippe quòd & igneo curru è terris ſit ſublatus, & apparuerit cum Chriſto in transfiguratione eius. Non eſt autem dubium, quin Elias & hypoſtaſis filij Dei, ab æterno à Patre ſuo geniti, ſint duæ diuerſæ perſonæ, Altera quidem Eliæ in cœlo tantum, altera autem filij Dei in cœlo & in terra. Nec eſt dubium, quin filius Dei, ſicut implet diuinitate ſua cœlum & terram, ita impleat etiam Eliam in cœlo. Vide ergo mihi, quid nũc neceſſariò ſequatur, illud nimirum, quòd cũ Cingliani ſpargant eam, quæ eſt in Chriſto diuinitatem, tam in cœlo quàm in terra, humanitatem autem eius collocẽt tantum in cœlo, manifeſtè faciant duas, ex una, perſonas, ſicut & Elias, & diuinitas filij Dei, implẽs quidem Eliam in cœlo, ſparſa autem in cœlo & in terra, duæ ſunt perſonæ diuerſiſque locis diſtinctæ, ideoq; de Mieſtate Chriſti nihil alius (quod ad hãc quidem partem attinet) quàm de Elia, ſentiãt. In hoc enim uidentur nobiſcum uerbis de Vnione duarum naturarum

tum in Christo consentire, quòd Christus cõstet ex duabus naturis, diuina uidelicet & humana, nec altera mutetur in alteram: Sed in illo non conuenit inter nos, qualis sit hæc Vnio, & quãtum pateat, Num personalis, uel ut Paulus loquitur, corporalis & perfecta, An tantum uulgaris, qualiter Deus unitus est quibusuis sanctis hominibus? Dicunt enim diuinitatem Christi habere sibi copulatã humanitatem in uno tantum loco: in reliquis autem omnibus locis separant humanitatem à diuinitate. Hæc non est personalis & perfecta, sed tantum uulgaris Vnio. Nos autem ex illo Euangelistæ dicto, & similibus, Verbum caro factum est, docemus Vnionem uerè & perfectè PERSONALEM, ut ubicunq; est diuinitas Christi, ibi etiam sit, (sed ineffabili modo) humanitas eius. Nam quòd naturæ dicantur in Christo distinctæ, non idcirco dicuntur distinctæ, quòd distinguantur locis, ut alicubi sit diuinitas, ubi non habeat copulatam sibi humanitatem, sed quòd naturæ nec sint mutatæ nec mixtæ. Nomen autem naturę, quemadmodum aliàs expoluimus, non est intelligendũ, in hoc quidem argumento, pro rei accidentibus, sed pro rei substantia, ut Natura diuinitatis sit substantia spiritualis, intelligẽs, increata, & ab æterno. Natura autem humanitatis, substantia corporea, intelligens, & in tempore creata. In Christo igitur substantia diuinitatis non est mutata in substãtiam humanitatis, sed manet utraq; ita inuiolata, ut tamen in incarnatione altera sit alteri semper et ubiq; indissolubili nexu copulata & unita. Et quia Bullingerus obtrudit nobis alicubi sua priora scripta, quæ uult pro repetitis haberi, non pigebit etiam me hunc locum prioribus, non quidẽ meis, sed Lutheri uerbis, quæ & ipsa pro repetitis haberi uolumus, concludere. Sic enim

ſcribit ille: Neceſſe habes (inquiens) eam Chriſti exiſtentiam, qua eſt cum Deo una perſona, longiſsimè, longiſsimè inquam, extra creaturas collocare, adeoq; tam longè, quàm Deus ipſe extra eas eſt. Et ecõtrà, tam profundè & prope in omnib. creaturis collocare, quàm Deus ipſe in eis eſt, quia eſt una & indiuiſa perſona cum Deo. Aut. n. neceſſe habet ibi eſſe ubi Deus eſt, aut fides noſtra uana eſt. Quis autem eſt, qui poſsit cogitare, aut explicare, quomodo hoc fiat? Scimus quidem, quòd Chriſtus ſit in Deo extra omnes creaturas, & una cum Deo perſona, ſed quomodo hoc fiat neſcimus. Hoc myſteriũ ſuperat ingeniũ & rationem omnium etiam Angelorum in cœlo, ſoli aũt Deo cognitum & perſpectum. Cùm igitur hoc ſit nobis incognitum, & tamen ueriſsimum, nõ prius negandum eſt uerbum eius, quàm poſsimus certò probare, quòd corpus Chriſti nullo modo queat ibi eſſe, ubi Deus eſt, & quòd modus ille præſentiæ, de quo diximus, ſit falſus. Nam hoc Fanatici omnino probare debent. Sed non facient. Non (inquam) facient. Et iterum: Poſtquàm Chriſtus (inquit) eſt Deus & homo, & humanitas eius una eſt cum Deo perſona, ideoq; ſic omnino totus in Deum ſuper oẽs creaturas aſſumptus, & exaltatus, ut ipſi ſit quaſi adglutinatus, reſpõdere deberet Fanaticus ſpiritus, quomodo fieri poſſet, quòd Deus alicubi ſit, ubi non ſit homo, & quomodo poſsibile ſit, ut Deus abſq; perſonæ diuiſione in hoc loco ſit ſine humanitate, in alio autem loco cum humanitate, cum tamen nõ duos deos, ſed unum tantum Deum agnoſcamus, & is totus omnino ſit homo, iuxta alteram quidem in diuinitate perſonam, uidelicet F. lij. Quid enim profuerit, quòd aliàs multa blateret, & ubi neceſſarium eſſet reſpondere, alio tranſiliat & taceat? Si

Deus

Deus & homo una eſt perſona, & duæ naturæ inter ſe ita unitæ, ut propius ſibijpſis coniunctæ ſint, quàm corpus & anima, certè neceſſe eſt, ut Chriſtus ibi ſit homo, ubi Deus eſt. Si eſt in uno loco Deus & homo, quam ob cauſam non eſſet etiam in altero loco Deus & homo? Si in altero, cur non etiam in tertio, quarto, quinto, adeoq; in omnibus locis? Si uerò tertius, quartus & quintus locus non permittunt, ut ſit ſimul Deus & homo, certè ne primus quidem & unus locus permittit, ut ſit Deus & homo. Nam ſi uel locus uel ſpacium loci poteſt perſonam diuidere, certè id non minus faciet primus locus, quàm omnia alia loca. Hîc fuiſſet reſpondendum, & hoc urgebam, cùm oſtenderem, quòd Deus & homo una eſſet perſona, & Chriſtus per hoc cõſecutus eſſet ſupernaturalem exiſtentiam ſeu modum, ut eſſet in omnibus locis. Hactenus Lutherus.

Sed reuertamur ad id, quod inſtituimus. Vociferantur enim Cingliani, ſicut diximus, quòd hac unione nõ poſsit fieri, ut corpus Chriſti, ſalua natura ſua, extendat in infinitum. Corpus enim natura ſua eſſe finitum. Et quanquàm affirment Deum contuliſſe in Chriſtum omnem diuinitatis maieſtatem & gloriam, tamen ſic explicant, quòd Deus non contulerit plura in eum, quàm quatenus humana natura capax eſt proprietatum Dei, & cõditio eius ferre poteſt, uidelicet, ut interim proprietas humanæ naturæ nõ depereat aut euertatur. Præſcribuntur etiam hîc certi omnipotentiæ Dei fines, quippe quòd ne diuina quidem potentia fieri queat, ut corpus Chriſti non ſit finitum ac loco circumſcriptum. Hæc & his ſimilia inculcãt hæc repetunt, hæc ingerunt, hęc obtrudunt uel ſexcenties: Sed quibus ſuam & inſcitiam & incogitantiã orbi propinant. Neq; enim uident, aut for

talsis ne possunt quidem sic affecti uidere, aliud esse humanam naturam per se esse capacem Maiestatis Dei, aliud eam posse diuinitus capacem fieri. Quod, ut adhuc clarius intelligatur, sicut antea exposuimus personalē & inseparabilem duarum naturarum in Christo Vnionem, ita nunc sumemus explicādam exaltationem hominis in diuinam maiestatem, quam exaltationem Athanasius rectè uocat Assumptionem humanitatis in Deum. Cùm enim in Ecclesia fit sermo de incarnatione Christi, non solum dicitur, duas diuersas naturas in Christo esse personaliter unitas, uerumetiā dicitur, humanitatem esse assumptam in Deum, & Christum hominem conscendisse, (sicut Cyrillus loquitur,) ac eleuatum, exaltatum, & euectum esse in maiestatem Dei, adeoq; factum esse Deum. Quid ergo hæc sibi uelint, omnino explicandum est, idq; ex oraculis Spiritus sancti, hoc est, è scriptis Propheticis & Apostolicis, ut perspicuum fiat, non solum, quātum pateat personalis unio duarum naturarum in Christo, & quatenus humana natura sit capax proprietatum Dei uerum etiam, quòd Cinglíani uerbis quidem fateātur Christum esse Deum, argumento autem tacitè ad eius abnegationem perducātur. Bullingerus ait: Si assumptus ille homo, euectus est
Fol. 62. supra omnes creaturas, desijt utiq; esse creatura. Si autē creatura esse desijt, quomodo postea pro nobis pati & mori potuit? Expendamus, quæso, hic uerba, ut cognoscamus, quantum erroris Cinglianum dogma in se cōtineat. Si (inquit) assumptus ille homo euectus est supra omnes creaturas, desijt utiq; esse creatura. Nullo modo autem concedendum est, quòd Christus desierit esse creatura. Si enim, inqt Bullingerus, creatura esse desijt, quomodo postea pro nobis pati & mori potuit? Nullo

igitur

igitur modo, ſecundum Bullingerum, concedendum eſt, quôd ſit euectus ſupra omnes creaturas.

Hîc nunc oẽs pios, & in uera doctrina Chriſti eruditos appello, an hoc nõ ſit palàm, clarè, manifeſtè, diſertè, & perſpicuè negare, q̃d Pſalmus ait: Oĩa ſubieciſti ſub pedes eius. Et Chriſtus ipſe: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et Paulus: Sedere fecit eum ad dextrã ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatũ & poteſtatem & uirtutẽ & dominium, & OMNE nomen, q̃d nominatur non ſolũ in hoc ſeculo, uerum etiam in futuro. Et iterum: Deus extulit illũ in ſummam ſublimitatem, ac donauit illi nomen, q̃d eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium, terreſtrium ac infernorum. Quid.n. ſubleuari ſupra omnia, omnem accipere poteſtatem in cœlo & in terra, euehi ſupra omnem principatũ, & omne nomen, quod tam in hoc, q̃m in futuro ſeculo nominatur, & efferri in ſummã ſublimitatem, ac donari nomine ſupra omne nomen, ut ab omnibus cœleſtibus, terreſtribus, & infernis adoreris, aliud eſt, q̃ euehi ſupra omnes creaturas, & ornari omni diuina maieſtate, ac eſſe uerum Deum? Cùm igitur Bullingerus negat hominem aſſumptũ, euectum ſupra omnes creaturas, certè negat etiam eum euectum ſupra omne nomẽ, & ornatum omni diuina maieſtate, adeoque negat eum uerum eſſe Deũ. Habes clariorem ipſo meridiano ſole abnegationem diuinæ maieſtatis hominis à Deo in unam perſonam aſſumpti. Vel hic unus & ſolus locus admonere nos deberet, ut cognoſceremus, quanta abſurditatis Lerna in Cingliano dogmate lateret, & q̃ contento curſu fugiẽdum eſſet. Quòd ſi dixerit, Teſtimonia ſcripturæ quæ recitauimus, intelligẽda eſſe de exaltatiõe Chriſti poſt reſurrectionẽ eius à mortuis:

iam

iam hoc iterꝝ esset negare hominem à Deo assumptum fuisse statim in cõceptione uerum Deum: & aliâs explicatum est, quòd quam potestatem & maiestatem Christus post resurrectionem dicit sibi datam, eam ante resurrectionem quoqꝫ, ab initio suæ conceptionis habue
Fol. 19. rit. Deinde Martyr ait, Filium hominis, id est, naturam humanam euectam esse ad infinitam potẽtiam, sapientiam, bonitatem & iusticiam, non facilè dabo. Non igitur facilè dabit filium hominis euectũ esse in summam sublimitatem, & in maiestatem Dei, ideoqꝫ non dabit eum esse uerum Deum. Exclamabũt de calumnia. Sed nihil prorsus fingo. Verba illa eorũ in scriptis ipsorum palàm extant. Et sententia eorum ex ijs, quæ sequẽtur, manifesta erit, etiamsi longè aliud uel scribant uel cogitent. Cęterꝝ, ut in explicatione huius rei eum sequamur ordinem, quem in priori libello secutus sum, dicemus nunc de ascensu Christi in cœlum, & de sessione eius ad dextram Dei Patris, Ex quo etiam manifestum erit, quid illud sit, qꝫ ueteres dixerunt duas naturas in Christo esse personaliter unitas, & humanitatẽ assumptam esse in Deum. Postquam enim ostendimus, ex personali unione duarũ naturarum in Christo, quæ facta est in Incarnatione, necessariò sequi, quòd etiamsi physica ratio nõ ferat, ut humanum corpus per se consideratum, non sit, nisi in loco circumscriptum, tamen assumptum à filio Dei in Vnitatem personæ, ibi sit, ubicunqꝫ diuinitas filij Dei fuerit, ostẽdemus nũc idem, propicio Deo, ex Ascensu Christi in cœlum, & sessione eius ad dexteram Dei Patris sui. Ac, ut statum causæ iterum, sed paucis, repetam, non agitur in prẽsentia, de eo ascensu Christi in cœlum qui factus est quadragesimo à resurrectione die, in monte Oliueti, uidentibus coràm discipulis

mirandam

mirandam illam corporis Christi eleuatiõnem usq; ad nubes. Hoc spectaculum, ut fuit locale, ita & fuit uisibile, ac à Christo institutum, partim, ut significaret se nũc externarum & mũdanarum apparitionum, quibus hactenus corã discipulis quadraginta diebus, unà loquendo, ambulando, & uescendo ueritatem resurrectionis suæ comprobauerat, finem facere: partim ut testaretur, regnum suum non esse terrenum, & mundanum, sed spirituale & cœleste, quod nullis nec locis circumscribi, nec tẽporibus definiri potest. Illud autem agitur, quod sit cœlum & regnum Dei Patris, in quod homo Christus à resurrectione sua intrauit, imò cuius ius & possessionẽ iam inde ab initio Incarnatiõis habuit, & se externo suo ascensu, uersus nubes, habere testificatus est. Hic Bullingerus & Martyr sua habent, eaq; crassissima somnia. Fingunt. n. ultra cœlos uisibiles esse latissimã quandam Regionem, eamq; locorum interuallis distinctam (campum fortassis Elysium, qualem Ethnici somniarunt, aut eiusmodi spacium, quale Aristoteles rebus suis, optimam uitam ducentibus tribuit) in qua regione non solum angeli suo quodam modo, & homines beati, corporali habitatione commorentur, uerumetiam Christus ipse aut sedeat, aut stet, aut ambulet, & progrediatur. Bullingerus in priori libello de cœlestibus manſionibus ait: Non dicimus alligatum esse in cœlo, sed di Fol. 16.
cimus uerè è terris sublatum, in cœlo nunc uersari liberè (En liberè diximus, & dicimus semper) pro ratione glorioſi corporis, Ideoque corpus eius in cœlo nec stare semper, nec sedere perpetuò, sed prout uult, aut ubicunque locorum uult, & ratio æternæ salutis & gaudij dictat, liberrimè uersari. Et iterum: Cœlum, inquit, glorię Fol. 40.
Dei prædicamus amplissimum atq; patentissimum lo

cum, ut in quo mansiones sint quàm plurimæ. Quare nec Agno (Christo) nec Sanctis obstat quicquam, quin PERGANT, EANT, STENT, aut SEDEANT per amplissimas & beatas cœli sedes, prout libitum fue-
Fol. 73. rit, &c. Bullingerum sequitur Martyr, & dicit: Ego profecto affirmabo, corpus Christi esse in aliquo certo loco externi cœli, sed latissimo & amplissimo, ubi liberũ sit ei STARE, SEDERE, AMBVLARE, atq; ut libuerit incedere, &c. Hactenus Martyr. Priusquam igitur pergamus, diligẽter obserues, nos in præsentia non loqui de ea potestate, qua Christus potest se in certo loco ostentare, & uisibilis, siue stans, siue sedens, siue ambulans, pro humano captu, & mundano modo appare re, quemadmodum uisus est Stephano & Paulo. Quis enim hãc Christo potestatem adimeret? Sed loquimur de perfecta & perpetua eius Maiestate, qua in cœlesti regno, supra omnem humanũ captum fruitur, & in qua Cingliani sentiunt, eum localiter stare, sedere & deambulare. Hìc si quærerem, ecquando illi è cœlo descẽdissent & coràm uidissent, Christum unà cum Sãctis & angelis suis hinc inde deambulare, non immeritò audirẽ, Quid tu curiosius ista requiris? Certè cùm facerẽ mentionem cœli Thalmudici & Mahumetici, ac pictarum tabellarum, nihilo mitius, aut ciuilius excipior. Requirit enim in me homine sene & Theologo, Bullingerus (homo scilicet insigne modestię & grauitatis exẽplum) senilem modestiam & Theologicam grauitatem. Sed iudicẽt, quæso, omnes pij, num ego quicquam in leges modestiæ & grauitatis peccauerim, quòd eum, qui puerilibus & fictitijs somnijs de externis, corporalibus & localibus Christi, ac Sanctorum in cœlo deambulationibus in nos insultat, alacriori risu excipiam? Et quid ego facerem,

facerem, cum Bullingerũ ipſum ferè pudeat eius, quod deitionibus, reditionibus, ſeſsionibus ac ſtationibus Chriſti in cœlo illo ſuo ſcripſit. Cũ enim antea palàm, luculenter & expreſsè affirmauerit, nec Chriſto nec ſanctis quicquam obſtare, quin pergant, eant, ſtent aut ſedeant, per ampliſsimas & beatas cœli ſedes, prout libitũ fuerit, Nunc quaſi ſeſe reuocans, An ambulet (inquit) Chriſtus in cœlis, an ſedeat, an ſtet, an in colle, uel humili ſitu ſe contineat? Hæc & ſimilia nec quærimus nec diſcutimus, aut diſcutientibus cõſentimus. Hactenus Bullingerus, qui cùm inconſtantiam ſuam ſuis ipſius uerbis teſtificetur, quid opus eſt, ut ego pluribus explicẽ? Si enim nec quærit, nec diſcutit, nec diſcutientibus conſentit, num Chriſtus in cœlo ſedeat, an ſtet, an ambulet, quæ eſt illa incogitantia, cõtendere, quòd ſit neceſſariò in certo loco circũſcriptus, in quo, cum nõ ſit captiuus, ſedeat, ſtet, aut ambulet, localiter, prout ei uiſum fuerit? Et ſi Bullingerus permittit ſibi talia de Chriſto affirmare, quid eſt, cp iraſcitur Scholaſticis, qui fingunt in cœlo choreas, ac inprimis Alphæo Valeſiano, qui profectò nec ineptè nec importunè fabulas Scholaſticorum de choreis in cœlo ad finem mei ſcripti recitauit. Si enim Chriſto nihil obſtat, quo minus cum Patriarchis & reliquis ſanctis ſuis in cœlo deambulet, quid obſtaret, quo minus etiam cum Matriarchis & uirginibus ſuis in cœlo ſaltet ac choream ducat, præſertim cum incredibili lætitia perfundantur? Sed relinquamus hæc (ut Etymologias quoq;) Scholaſticis diſcutienda. Illud (inquam) in præſentia agitur, quid ſit illud cœlum, quæ ſit illa maieſtas & fœlicitas, ad quam filius Dei euexit & exaltauit filium hominis, ab ipſo in eandem perſonã aſſumptum. Non ſcrutamur curioſius ſecreta ſanctuarij Dei: ſed ex-

In poſteriori libello, fol. 19.

plicamus & tuemur ueritatem ſcriptis Prophetícis & Apoſtolicis patefactam, aduerſus Ariſtotelicos Philoſophos, & craſſos de cœleſtib. rebus ſomniatores. Poſtquam ígíť Chriſtus reſurrexit à mortuís, & priuſquam aſcendit uiſibiliter ín cœlum, & diſcipulís ſuis apparuit, ubí, quæſo, interea, dum non apparuit, erat? aut cum in aſcenſu ſuo uiſibílí nubes ſubduceret eum ab oculis diſcípulorū, quorſum, obſecro, peruenit? Nunquid progreſſus eſt locali motione de orbe ín orbem, donec peruenít ad cœlum íllud corporale, ſpírituale, locale: (Hæc enim dicuntur ab íllís de cœlo ſuo Empyreo) ín quo deinceps ſtet, ſedeat, aut cum ſanctís ſuís aliquoties deambulet? Ac profectò Chriſtus, iuxta Martyrē, neceſſe habuit, à nube, non momento, ſed localí progreſſu ad cœ-
Fol. 111. lum íllud Empyreum peruenire. Sic enim dícit: Nullus motus localís cuiuſuís corporis momento fieri poteſt, ſed oportet, ut ſuam habeat ſucceſsionem, ſeu continuationem, & antea pertíngat medium, quàm ad extremum perueniat, &c. Equidē ſcío Chriſtum ingreſſum eſſe ín cœlum, & commorarí (ut ita dícam) in cœlo, ſcío eum ín cœlo ad dextram Dei Patris ſui ſedere, ſcío eum apparuiſſe Stephano ſtantem à dextris Deí: ſcío de hac re extare perſpícua ſacræ ſcripturæ teſtímonía, & agnoſco ea eſſe ueríſsima ac certíſsima. Quare non opus erat ad ea reſpondere, quod mihí alicubí ſatis odioſe exprobrat Bullíngerus, ſed íllа, quæ ex his ſcrípturæ teſtímoníjs fingit, nec ſcío nec approbo. Vbí enim ſcríptura tradít, Chriſtum ín cœlo iuxta ueram & cœleſtem, ac diuinam ſuam maieſtatem, ſedere Phyſica locatíone, ſtare corporalí modo, & deambulare locali motione? Hæc íllа ſunt ſomnia, quæ iſtí pro ſua humana ratiōe, maieſtatí Chriſtí ín cœlo affingunt. Non affingimus, inquiunt,

ſed

ſed ex ipſa humani corporis natura colligimus, quòd
non poteſt uerum eſſe corpus, niſi ſit in loco, & moueatur localiter. Quicunque (inquit Martyr) uel micam habent prudentiæ, nolunt corpus Chriſti in loco aliter eſſe, quàm localiter, & circumſcriptiuè. Et rurſus: Cùm de loco, inquit, agimus, & illum humanæ Chriſti naturæ comparamus, nec poſſumus, nec debemus à geometrico ſpacio cogitatiões reuocare, cùm humano corpori etiam Chriſti, locus tantũ hoc modo conuenire queat. Vides ergo, optime lector, quibus axiomatis iſti homines ſint faſcinati, uidelicet, quòd humanum corpus non poſsit uerum corpus manere, niſi ſit in loco localiter, idq; tam firmum exiſtimant, ut ne Deus quidẽ ipſe omni ſua potentia queat corpus ſubſtantia ſua ſaluum abſq; loco, & localí circumſcriptione conſeruare. Ex his architectantur cœlum ſuum locale, ex his ſomniant in cœlo eſſe Phyſicas locationes, ſtationes, progreſsiones, ac fortaſsis etiam retrogreſsiones, quales ſunt Planetarum. Hæc ſunt fundamenta, propter quæ ueram & ſubſtãtialem præſentiã corporis & ſanguinis Chriſti, è Cœna eius proturbant. Sed ut hic pernicioſus error aduerſus omnipotentiam Dei & maieſtatẽ Chriſti clarius intelligatur, pergemus in inſtituto. Scriptura enim nõ tradit, q; Chriſtus, poſtquam aſcendit in cœlum uiſibiliter, & ſuſceptus eſt à nube, progreſſus ſit Phyſica motione per orbes Planetarum, & per firmamentum, uſq; in cœlum illud Empyreum, latiſsimum quidẽ, ut illi dicunt, ſuis autem ſpacijs circumſcriptum, ſed quòd conſederit à dextris Dei. Et ſi rem ipſam rectè expendas, illud aſcendere in cœlũ, poſtquàm Chriſtus ſuſceptus eſt à nube, ſignificat, ad dextram Dei cõſidere. Apud Marcum enim dicit, Dominus poſtquàm locutus fuiſſet eis, rece

Fol. 66.

Fol. 59.

ptus est in cœlū, & consedit à dextris Dei. Et magis perspicuè in Actis Apostolicis cap. 2. Non Dauid ascendit in cœlos, sed dicit ipse, Dixit DOMINVS Domino meo, sede à dextris meis. Hîc manifestum est, quòd Petrus ascendere in cœlos interpretetur per considere à dextris Dei. Quęramus igitur nunc quid sit dextra Dei, & quid sit sedere ad dextram Dei, ut sciamus, & ubi Christus sit quærendus, & ubi inueniri queat. Dextera enim Dei, de qua fit sermo, in hoc religionis nostræ articulo, Sedet ad dextram Dei, non est certus locus in corporeo & locali cœlo, quēadmodum Cingliani imaginantur: nec est talis tantum fœlicitas, qualis in cœlesti regno cōtinget omnibus in Christum credentibus, sed est summa & infinita Dei maiestas, atq; omnipotentia eius.

Psal. 43. Manus tua gentes disperdidit, & plātasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos. Nec. n. in gladio suo possederunt terrā, & brachium eorum nō saluauit eos: sed DEXTERA TVA & BRACHIVM TVVM & illuminatio uultus tui, &c. Hîc audis manum, brachium, & dextrā Dei. Et opponūtur per antithesin, manui, brachio, & dextræ hominum, quæ cùm sint impotentia, necessariò sequitur ea in Deo esse omnipotentia.

Psal. 97. Cantate Dño cāticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachiū sanctum eius. Hîc dextera Dei & brachiū eius faciunt mirabilia, & saluant. Dextera igitur Dei non est nisi omnipotentia.

Psal. 117. Dextera DOMINI fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera DOMINI fecit uirtutē.

Esaiæ 48. Manus mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos. Non potuit autem nec cœlum mensurari, nec terra fundari, nisi per omnipotentiam Dei. Dextera igitur Dei est omnipotentia Dei.

Quid

Quid plura? Nusquam non occurrunt loca in scripturis Propheticis & Apostolicis, quibus comprobatur, quòd summa Dei maiestas, & omnipotentia eius intelligenda sit nomine dextræ eius. Hæc etsi cuiuis obuia sunt, tamen uisum est quædam repetere, propterea quòd Cingliani ista insigniter dissimulent, & lectorem suis de natura corporum concionibus longè aliò abducere soleant.

Bullingerus duplicem facit significationem dexteræ Dei: & cõfitetur quidem uerbis, se agnoscere dexteram Dei esse omnipotentiã & maiestatem Dei, & Christum conscendendo ad dexterã Patris, assecutum esse dignitatem supremam, ac trãscendisse omnem principatum ac potestatem, essecq; regem summum, & Deum uerum in gloria, per quem omnia fiant, gubernentur & conseruentur &c. Sed interim reprehendit Brentium, quòd non agnoscat alterã dexteræ Dei significationẽ, quam dicit esse certum in cœlo beatitudinis locum. Cùm autẽ ego requiro, & expecto firma huius posterioris significationis dexteræ Dei testimonia, ecce tibi clamorem quidem multum, sed pro thesauro, carbones. Adducit enim Cyprianum, qui dixit, Sedere ad dexterã Dei Patris, carnis assumptæ mysterium est, necq; diuina, sed humana natura sedem cœlestẽ conquirit. Quid? Hoccine est probare dexteram Dei significare certum locum in cœlo? Dicit quidem Cyprianus, Non diuina sed humana natura conquirit sedem: sed cùm addit, cœlestem, eo ipso significat, se nõ loqui de sede quadam terrena, hoc est, circumscripta, quæ superficie corporis cõtinentis localiter concludatur, sed alludere ad dictum illud Esaiæ: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Hanc sedẽ non conquisiuit diuina natura in Christo,

ſto, quippe quòd eam iam inde ab initio rerum conditionis poſſederit, ſed conquiſiuit humana eius natura, cui ea ſedes, mox in incarnatione, qua filius Dei filium hominis in unitatẽ perſonæ aſſumpſit, data eſt, id quod poſtea in reſurrectione à mortuis, in aſcenſu in cœlum, & miſsione ſpiritus ſancti patefactum eſt, adeoq; in nouiſsimo die clarius ita patefiet, ut omnes pij facie ad faciem cognoſcant. Quam autem conditionem hæc ſedes habeat, ſuo loco explicatur, certè reipſa aliud non eſt, q̃ ſumma maieſtas, qua Deus omnia gubernat, & ad quam Chriſtus homo collocatus eſt. Vides ergo quantum patrocinetur figmento Bullingeri Cyprianus.

Addunt & Theodoretum, qui dixit, Sedere in throno gloriæ, & ſtatuere quidẽ agnos à dextris, hœdos uerò à ſiniſtris, id quod circumſcriptũ eſt, ſignificat. Hæc recitantur aliqua ex parte ex Matthæi uicesimoquinto cap. Sed cõſidera mihi, obſecro, quàm aptè ad hoc inſtitutum accommodentur. Primùm, exiſtimas ne, in extremo iudicio, quod eſt futurum perpetuũ, nec ullum unquàm finem habebit, tam craſſum fore ſpectaculũ, ut inſtituatur externum tribunal uel in his terris, uel in nubibus, ad quod utrinque ſtent partes, quale quid in his mundanis conſiſtorijs fieri ſolet? Quis ad tam pueriles & aniles cogitationes nõ rideret? Nam, quòd Chriſtus appariturus ſit in nubibus, & Iudicaturus orbem terræ, ex ſcriptura manifeſtum eſt. Hæc autem apparitio non erit manifeſtatio totius maieſtatis Chriſti, ſed œconomia, ad tempus uſurpata, ut impij uideant, quẽ contempſerint & quem confixerunt, & pij rapiantur ei obuiã. Nam, quod ad iudicium attinet, mutuata quidem ſunt uerba deſcriptionis eius ab humana conſuetudine, ſed reuera erit cœleſte & perpetuum, quod oculus non uidit,

dit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit,ideo, que haudquaquam uerè dici poteſt,eſſe loco circumſcri ptum. Deinde, cum ſermo eſt de illo religionis articu lo,Chriſtus ſedet ad dexteram Dei,non quæritur de de xtra Chriſti filij hominis, ſed de dextra Dei Patris. Di cium autem illud,quod ex Matthęo allegatur,loquitur manifeſtè de dextra Chriſti. Cùm uenerit,inquit,FILI VS HOMINIS in gloria ſua,ſtatuet oues quidem à de xtris ſuis,hœdos aũt à ſiniſtris. Statuet,inquit. Quis? Fi lius hominis. Et ubi? à dextris. Cuius? ſuis,filij uidelicet hominis. Quid ergo tu mihi obtrudis dextrã filij homi nis,cùm ego quæram de dextra Dei Patris omnipoten tis? Habes iterum,q̃ aptè citeť locus ex Matthęo,ut pro betur, dextrã Dei Patris ſignificare in hoc articulo (Se det ad dextram Dei) certum & circumſcriptum locum.

Adducit etiam Auguſtinum, ſed in quem uſum, non uideo, niſi fortè, ut nobis arma porrigat, quibus i pſum conficiamus.

Auguſtinus dicit, dextram Patris eſſe beatitudinem perpetuam, quæ Sanctis datur. Quis autem negat Chri ſtum præter alias cauſas, etiam ideo conſediſſe ad de xtram Dei Patris, & conſecutum eſſe æternam beatitu dinem, ut haberet eam communem cum omnibus mẽ bris ſuis, quæ ſunt credentes in ipſum? Ergó ne hinc ſe quitur, dextram Patris eſſe certum & circumſcriptum locum? Quæ eſt hæc uertigo? Si ad hunc modum licet dicta ſacræ ſcripturæ & Patrum allegare, nihil tam ab ſurdum, nihil tam impium eſt, quod non è ſcriptura & Patribus probare tibi uidearis.

Dicit item Auguſtinus: Tametſi corpus Domini, quod de ſepulchro excitatum leuauit in cœlum, nõ niſi ſpecie humana, membriſq; cogitamus, non tamen ita

putandum est, sedere ad dextram Patris, ut ei Pater ad si
nistram sedere uideatur. In illa quippe beatitudine, quæ omnem superat humanum intellectum, sola dextera est, & eadem dextera eiusdem beatitudinis nomen est. Iubet hîc Augustinus in consideratione dexteræ Dei Patris, abstinere ab humanis cogitationibus. Affirmat beatitudinem illam superare omnem humanum intellectum: dicit in ea solam esse dexteram, non autem sinistram. Quid ergo Bullingerus somniat de loco circumscripto, qui humana cogitatione & intellectu facilè concipi potest? Quid nobis supra ex Theodoreto de sinistra Dei opposuit, cùm Augustinus dicat, hîc solam esse dexteram? Vides ergo Bullingere, quàm dextrè tuam dextræ significationem è scriptura & Patribus probaueris. Sed quid multis opus? si concedis dextram Dei, ad quam sedet homo à Deo assumptus, significare omnipotentiam & maiestatem Dei, certè eo ipso negas significare certum & circumscriptum locum. Omnipotentia enim & maiestas Dei (quo nomine comprehenditur etiam æterna eius beatitudo) nõ est certus & circumscriptus locus, sed gloria, nullo nec loco, nec tempore, nec cœlo, nec terra, definita. Reliquum igitur est, quòd, ut nomine dextræ Dei non uenit certus & circumscriptus locus, ita præcipuum fundamentum, quo nouum & inauditum Bullingeri dogma de dextra Dei constare uidebatur, concidat necesse est.

Postquam igitur manifestum est, quid per dextram Dei significetur, uideamus nunc, quid sit ad dextrã Dei sedere. Hîc non sunt audienda Cinglianorum somnia, sed spiritus sancti oracula. Sedere enim ad dextrã Dei, non est sedere, stare, aut deambulare in certo loco corporalis cœli, sed est ornatum esse æquali maiestate & omnipo-

mnipotentia Dei. Quare cum de Christo dicitur, quòd consederit ad dextram Dei, non est intelligendũ, quòd tantum secundum æternam suam diuinitatem sit æqualis cum Deo Patre maiestatis & omnipotentiæ, Sed ꝙ etiam secundum suam humanitatẽ æquali sit maiestate & omnipotentia præditus, & tamen nec substantia diuinitatis mutatur in humanitatem, nec substantia humanitatis mutatur in diuinitatem, sed utraq; substantia manet in eadem persona inuiolata, & immutata, accipit autẽ humanitatis substantia noua eaq; cœlestia, imò & diuina ornamenta. Nam ꝙ Cingliani dicunt humanitatem Christi non esse omnium ornamentorũ, uel sicut ipsi loquuntur, proprietatum Dei capacem, quid sit, & quantum homini Christo detrahat, ex his, quæ sequuntur perspicuum fiet. Prosequamur ergo quod instituimus. Christus.n. non tantum ut uerus ab æterno Deus, sed etiam ut uerus in tempore natus homo consedit ad dextrã Dei: idq; non solum ad dextrã uulgaris fœlicitatis, qualiter etiã Sancti in cœlesti regno sedebunt: nec in uno tantum certo loco, in quo interdum stet, interdum sedeat, interdum deambulet: mirum, si non interdum secundum ipsos iaceat quoq;, & caput suum in lectum reclinet, Verum etiã consedit ad dextram maiestatis & omnipotentiæ Dei, ut sit cum Deo Patre æquali maiestate & omnipotentia. Sic enim Christus ipse testatur: Amodo (inquiens apud Matthæum) uidebitis Filium hominis sedentem à dextris VIRTVTIS. Et iterum apud Lucam: Ex hoc tempore erit Filius hominis sedens à dextris VIRTVTIS DEI. Apertè hic uides, quis & ad quam Dei dextram sedeat. Dicit enim FILIVS HOMINIS. Christus igitur non tantum æterna sua diuinitate, sed etiam humanitate sedet ad dextram,

non inquit, uulgaris fœlicitatis aut certi loci, in quo aut ſtet, aut ambulet, ſed VIRTVTIS, hoc eſt, omnipotentiæ Dei, ut ubicunq; Deus fuerit cum ſua uirtute & omnipotentia, ibi quoq; ſit Chriſtus homo. Et ad Hebræ. cap. 1. dicit Apoſtolus, Cõſedit in dextera maieſtatis, in excelſis, nõ ait, Cõſedit in dextera certi loci, in cœlo corporeo, ſed conſedit in dextera MAIESTATIS, IN EXCELSIS, hoc eſt, in cœleſti regno, in quo omni Dei maieſtate ornatus eſt. Inter diuinæ autem maieſtatis genera nõ continetur tantum omnipotentia (etiam ſi hoc nomine non abſurdũ eſſet omnia ea genera comprehendere) ſed etiam (libet eñ docendi cãuſa ſic loqui) omniſcientia, omniſapientia, adeoq; omnipræſentia. Quare Chriſtus homo ad dextram Dei ſic conſedit, ut non tantum factus ſit omnipotens, uerumetiam omniſciens, omniſapiens, & omnipræſens. Nam quòd ille fidei noſtræ articulus, Sedet ad dextram Dei Patris, hanc habeat ſententiam, exponit Spiritus ipſe ſanctus in Prophetícis & Apoſtolicis ſcriptis. Pſal. 8. Quid eſt homo, quòd memor ſis eius, aut filius hominis, quòd uiſites eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. OMNIA ſubieciſti ſub pedibus eius &c. Hunc Pſalmum intelligendum eſſe, non ſimpliciter de quouis homine, ſed de Chriſto ipſo, teſtantur Paulus 1. Corinth. 15. Ephe. 1. & Epiſtola ad Hebrę. cap. 2. Et illud quod in eo Pſalmo dícitur, Gloria & honore coronaſti eum &c. intelligendum eſſe non de ea Chriſti maieſtate, quam habuit ab ęterno à Deo Patre ſuo, ut uerus Deus, ſed quam accepit, ut homo, ſatis aperte probat, quod paulò antè dictum eſt: Quid eſt homo, quòd memor ſis eius, aut filius hominis, quòd uiſites eum? Minuiſti

nuisti eum paulo minus ab Angelis. Christus igitur homo, qui præbuit seipsum humilem, & factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, tanta gloria & honore coronatus est, ut Deus subiecerit OMNIA sub pedibus eius. Et addit Epistola ad Hebræ. In hoc (inquiens) quòd subiecit ei OMNIA, NIHIL omisit illi non subiectum, nec quicquam aliud excepit, ut Paulus ait, præter seipsum, qui illi oia subiecit. Primũ ergo, si Deus OMNIA (præterquam seipsum) subiecit homini Christo sub pedibus eius, quomodo non dedisset ei potestatem omnia coràm præsentia habendi & gubernandi? Deinde si omnia sunt ei subiecta, certè subiecta sunt ei cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt. Sunt autem in eis, corpora, locus, tempus, & quicquid est harum rerum. Quare necessariò sequitur, quòd Deus dederit homini Christo potestatem in omnia corpora, loca, & tempora, ut & corpora cum locis, ac sine locis, et loca cum corporibus & sine corporibus, sicut uno momento perdere, ita etiam conseruare possit.

Hoc & Christus ipse confirmat: Data est mihi (inquiens) OMNIS potestas in cœlo & terra. Data est igitur ei potestas etiã in corpora & loca, ut queat ipsa, pro suo arbitrio, & coniungere & separare, adeoq; omnia intueri & omnibus præstò adesse, & uel conseruare, uel si ita uidebitur, annihilare. Itaq; manifestum est, quòd sedere ad dextram Dei, sit omnia habere sibi subiecta, & accepisse omnem potestatem in cœlo & in terra.

Ioannis 17. precatur Christus Deum Patrem: Nunc, inquiens, glorifica me tu Pater apud teipsum, GLORIA, quam habui, priusquam hic mundus esset, apud te. Non est inanis precatio, sed quod petijt, hoc & impetrauit. Et impetrauit id non diuinitati, quæ habuit glo-

riam ab æterno, sed humanitati. Quæ est ergo gloria illa, quam Christus petijt in se reuelari? Gloria, inquit, quam habui, priusquam hic mundus esset apud te. Habuit autẽ Christus filius Dei illam gloriam ab æterno, quòd sit omnipotẽs, & cum mundus crearetur, omnia implens, omnia coràm gubernãs, omni beatitate & fœlicitate fruens. Precatur igitur Christus, ut et humanitas eius hac gloria & maiestate ornetur, aut potius, ut in ipso reueletur, uidelicet, quòd sit omnipotens, omnia implens, omnia conseruãs, & coràm gubernans, adeoque omni fœlicitate fruens.

Ephe. 1. Vt sciatis, quæ sit excellens magnitudo potentiæ illius (Dei) in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, ac potestatem & uirtutem, & dominium, & OMNE NOMEN, quod nominatur, non solum in hoc seculo, uerumetiam in futuro, & OMNIA subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

In hoc loco Paulus manifestè describit, & interpretatur, quid sit Deum unire sibi hominem personaliter, & Christum sedere ad dextram Dei. Primum enim cùm dicit, quòd Deus exercuerit seu demonstrauerit efficaciam fortitudinis suæ in Christo, cùm suscitaret eum ex mortuis, perspicuè significat, se loqui de ea maiestate, quæ data est humanitati Christi. Diuinitas enim nõ est suscitata à mortuis, sed humanitas. Deinde clarè docet, eam humanitatem collocatam esse ad dextram Dei, idque non in terra, terreno modo, sed in cœlo, cœlesti modo.

do. Quid ergo est tali modo ad dexteram Dei collocari? Illud nimirum est, quod sequitur, uidelicet collocari supra omnem principatum, potestatem, uirtutem, dominium, ac OMNE NOMEN, non solum in seculo hoc, uerumetiã in futuro. Similiter est subijcere omnia subpedes eius, & dare eum caput Ecclesiæ, adeoq; sic efferre eum, ut omnia in omnibus adimpleat. Quid de Maiestate humanitatis Christi sublimius dici potest? Cũ homo Christus consedit ad dexteram Dei, exaltatus est, Primum, super omnem humanam & terrenam seu potestatem seu dignitatem, adeoq; quicquid rerum uel supremarum, uel infimarum in hoc externo & mundano seculo inter corporales creaturas nominari potest. Inter has autem creaturas nominatur etiam LOCVS, nominatur & cœlum illud corporale, nobis ob oculos positum. Manifestum igitur est, quòd homo Christus in Maiestate sua, nullo uel loco uel cœlo corporali seu physico contineatur, et localiter circumscribatur, sed sit superhæc omnia exaltatus. Alioqui enim, si necessarium esset, ut Christus aut humanitate sua circumscriberetur corporali loco, aut si hoc non fieret, non posset uerus homo manere, quemadmodum Cingliani somniant, quid aliud sequeretur, quàm quòd natura loci & corporis dominaretur in Christum, & non Christus in locum & corpus? Atqui Christus sessione sua ad dexteram Dei accepit principatum, potestatem, uirtutem, & dominationem super omne, quod in hoc seculo nomẽ habet. Habet autem & locus nomẽ, habet & corpus nomen. Reliquum igitur est, quòd habeat etiam dominationem in locum, & corpus, & possit pro sua omnipotenti uoluntate sese cum corpore suo uel absq; omni loco conseruare, uel in quouis loco patefacere. Deinde

Christus

Christus exaltatus est non solum super omnes creaturas corporales & uisibiles, sed etiam super omnes creaturas spirituales & inuisibiles, quæ nominari possunt, adeoq; super omnem principatum & dominationem, tam inter spiritus sanctos, quàm inter spiritus in tartarum præcipitatos, quocunq; nomine uocentur. Qui tanta est potestate præditus, ut dominetur omnibus spiritibus, quorum uel unus una nocte potuit in exercitu Sanneherib regis Assyriorum centum octoginta quinque millia uirorum interficere, quomodo non dominaretur etiam locis Physicis, ut absq; his substantiam corporis sui incolumem conseruare posset? Postremò dicit Paulus Christum hominem ita exaltatum esse, ut Deus non solum dederit eum caput Ecclesiæ, uerumetiam subiecerit sub pedes eius omnia, ut OMNIA in OMNIBVS adimpleat. Nam, quod ait, Ecclesiam esse complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet, certè loquit̃ de Christo homine, de quo cùm dicatur Ecclesiam esse corpus, seu complementum eius, de ipso etiam intelligendum est, quod additur, Vt omnia in omnibus adimpleat. Adimplet autem humanitate sua omnia, non crasso, non mũdano, non locali, non extenso, nec coextenso, sicut Cingliani nos sentire perhibent, sed cœlesti, sed diuino, eoq; modo, quem incarnatio Christi, seu personalis unio diuinæ ac humanæ naturæ in Christo, nobis obedienti fide credendum, non carnali ratione inuestigandum proponit.

Nec uerò negandum est, quin Paulus, cùm dicit, ut omnia in omnibus adimpleat, loquatur etiã de diuinitate Christi. Sed quia ea assumpsit humanitatem, & uniuit sibi eam, in unam & eandẽ ac inseparabilem personam, adeoq; extulit ipsam in tantam maiestatem, quan

tam

tam Paulus commemorauit, manifestum est, ꝙ eam secum presentem habeat in omnibus, quę adimplet. Huc etiam facit, ꝙd Paulus postea dicit: Qui descendit, idem ille est, qui & ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Hunc Pauli locū cum in priori scripto ad comprobādam ueram Christi omnipræsentiam recitarem, & ex circumstantijs certam eius sententiam explicarē, non illud effectum est, ut Cingliani oculos aperire, & errorem suum agnoscere inciperent, sed potius acceperunt occasionem perspicuè dictum obscurandi, & in uarias sententias discerpendi. Nam quemadmodum Rabini Iudæorum, cùm uident manifestum testimonium scripturæ de Messia, non hoc agunt, ut Messiam agnoscant, sed summam operam dant, ut textum scripturæ suis ficticijs glossis incertum, quod in ipsis est, reddant: ita Cinglianis solenne est, ut cùm obijciuntur ipsis clara scripturæ testimonia, cum ipsorum erroribus apertè pugnantia, non dent gloriam ueritati, sed studeant eam data opera, horrendis tenebris inuoluere. Bullingerus in explicando hoc Pauli dicto, recitat tres expositiones, quarum altera est, quòd Paulus loquatur non de impletione cœli & terræ, sed de impletione uaticiniorum Propheticorum. Aliæ duæ quales quales sint, certè omnes eiusmodi sunt, ut non solum clarè ostendat, se nullam habere certam eius dicti sententiā, uerum etiam in id studium incūbat, ut faciat nobis clarissima dicta scripturę, incerta & obscura. Paulus enim postquam recitauit illud Psalmi dictum de Christo, Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus, suscipit ipsum explicandum, & addit: Illud, inquiens, ascendit, quid est, nisi quòd etiā descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit idem ille est, qui etiam

aſcendit ſupra omnes cœlos. Audis hîc, deſcẽdit: audis, infimas partes: audis, aſcendit: audis, omnes cœlos. Et mox addit, ob quam cauſam, in quem uſum Chriſtus deſcenderit in infimas partes terræ, & aſcenderit ſuper omnes cœlos, Vt impleret, inquiens, omnia. Quis obſecro, has circumſtantias probè intuens, non intelligeret nomine omnium, infimas partes terræ, & ſupremos omnes cœlos: ut ſit ſententia, Chriſtus deſcendit in terram, & aſcẽdit ſuper omnes cœlos, ut tam terram, q̃ cœlos impleret. Non ignorauí, nec diſsimulauí quoſdam Eccleſiaſticos ſcríptores exponere hũc Pauli locum de impletione Propheticorum uaticiníorum. In præſentia aũtem non quæritur, quid Eccleſiaſtici ſcríptores ſenſerint, ſed quid Paulus ſenſerit, & quæ ſit uera dicti eius ſententia, quæ certè melius ex ípſis Pauli uerbis, quàm ex aliorum, qui ſuas ipſorum opiníones ſequũtur, commentaríjs, cognoſci poteſt. Etſi autem nõ dubito, quin ea ſententia, quam recitauímus, ſit uera, & certa, tamen ponamus ínterím Paulum loquí de impletiõe Propheticæ ſcripturæ, certè ne ſic quidem falſum eſt, quòd Paulus hoc ſuo dicto doceat hominem à filio Dei in unam perſonam aſſumptum, implere cœlum & terram. Prophetica enim ſcríptura docet Chriſtum non tantum aſcenſurum ín altum, uerumetiam omnia ſub pedes eius ſubjícienda, & ípſum dominaturum à marí uſq; ad mare, & à flumine uſq; ad terminos orbis terrarum. Et addit Pſalmus: Benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eíus omnis terra. Hæc dicta ſunt de maieſtate humanitatis Chriſti, qua regnat à marí uſq; ad mare, ímò in cœlo & in terra. Sed quomodo? num terreno, num mundano, num humano modo? Nihil minus. Regnum meum, inquit, non eſt de hoc

Pſal. 8.
Pſal. 71.

hoc mundo. Regnat igitur cœlesti ac diuino modo. Ecquis est hic cœlestis ac diuinus regnandi modus? Non certè talis est, qualiter Romanus Cæsar regnat in imperio Romano, qui etsi totius Romani imperij potitur, tamen in uno tantum loco residet, in reliquis habet suos præsides & magistratus, per quos imperium gubernat: Sed Christus homo regnat, qualiter Deus ipse regnat. Deus autem non in uno loco concluditur, & quanquã habet etiam suos ministros, per quos gubernat tam cœlum & terram, quàm suam Ecclesiam, tamen ut nõ longè abest ab omnibus suis creaturis, ita nec abest à ministris suis, ut ipsemet corâm omnia conseruet ac gubernet. Hoc cœlesti & diuino modo gubernat omnia etiã homo ille, qui à Deo in unitatem personæ assumptus est. Quare si Paulus intelligit Christum impleuisse omnia Prophetica scripta, hæc autem testificantur Christũ omnia corâm præsenter gubernare, reliquum est, quòd intelligat etiam Christum omnia tam infima quàm suprema implere. Sed pergamus. Philip. 2. Is affectus sit in uobis, qui fuit in Christo Iesu, qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediẽs usq; ad mortem, mortem autẽ crucis. Quapropter & Deus extulit illum in summam sublimitatem, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum, omnisque lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris. Hactenus Paulus. Ac de humiliatione quidem & exinanitione Christi paulo pòst. Nunc autem, quod cœpimus de glorifica

tione & maiestate eius prosequamur. Loquitur ergo Paulus hoc loco de glorificatione & exaltatione humanitatis Christi, & perspicuè interpretatur, quid sit Christum sedere ad dextram Dei Patris. Sic enim sedere, est (iuxta Paulum) efferri in summam sublimitatem, donari nomine, quod est super omne nomen, & adorari ab omnibus creaturis cœlestibus, terrestribus & infernis.

Quid igitur est, obsecro, efferri in summam sublimitatem? An non solus Deus est in summa sublimitate? Imò Deus summa ipsa est sublimitas. Quare efferri in summam sublimitatem, est efferri ad diuinã ipsam maiestatem, non quidẽ ut essentia diuinitatis mutetur, sed ut homo ad omnia diuinitatis ornamenta exaltetur. Nisi enim ea consequeretur, non efferretur in summã, SVMMAM (inquam) sublimitatẽ. Deinde, quid est, obsecro, donari nomine, quod est super omne nomen? An non Dei nomen solum est super omne nomẽ? Certè reliqua omnia nomina sunt creaturarum. Et solum nomẽ Dei superat omnia. Cùm igitur Paulus dicit, quòd Deus donauerit homini, quẽ filius Dei in unam personã assumpsit, nomen quod est super omne nomen, manifestè docet, hunc hominem donatum & illustratum esse maiestate Dei. Sublimitas autem & maiestas Dei, non est tãtum omnipotentia, uerumetiam omnijustícia, omniscientia, omnisapientia, & omnipræsentia. Donatum igitur est homini à filio Dei assumpto, non tantũ ut sit omnipotens, uerumetiam ut sit omnijustus, omniscíens, omnisapiens, & omnipræsens. Postremo, quid obsecro est, adorari flexis genibus cœlestium, terrestrium & infernorum? An nõ solus Deus est sic adorandus? Rectè. Cùm igitur Paulus scribit homini Christo donatũ esse, ut in nomine eius flectãtur genua omnium creaturarum,

quid

quid aliud docet, q̃ ipsum ornatum esse diuina maiestate, ac factum esse uerum Deum, ut Petrus loquitur? Verus autem Deus, ut est omnipotens, ita etiam est omnipræsens. Necessariò igitur sequitur, quòd & homo ille, qui est à Filio Dei in unitatem personę assumptus, sit uerè omnipotens, & omnipræsens. Et hoc illud est, quod dicitur, Christum sedere ad dextram Dei Patris sui. Act. 8.

Hic iam tempus est, ut illæ de Christo loquendi formulæ, Homo est Deus, & Deus est homo, Item, Totus homo est Deus, & totus Deus est homo, Item Deus homo factus est, & homo Deus est factus. Item, quod Augustinus scripsit, Quia forma Dei formam serui accepit, utrunq; Deus, utrunq; homo, &c. rectè & piè explicentur. Etsi enim sunt in ore omnium ferè Christianorum, tamẽ paucissimi sunt, qui eas rectè intelligunt, pauciores autem, qui uerè credunt. Conatur quidem Martyr in his aliquid explicare, Sed quia Cingliani fascinati sunt Philosophicis dogmatis, non possunt uerã harum locutionum intelligentiã assequi, donec uelamen à cordibus ipsorum sublatum fuerit. Cùm ergo de Christo dicitur, Deum esse hominem, aut Deum esse factum hominem, aut totum Deum esse hominem, aut totum hominem esse Deum, non est Philosophicè, sed Theologicè intelligendum. Non enim significatur, sicut aliquoties est expositum, quòd Deus mutetur in hominem, aut quòd Deus misceatur cum homine, sicut aqua uino miscetur, aut quòd Deus existat tantum in homine, sicut existit in omnibus creaturis, aut quòd Deus habitet tantum in homine, sicut habitat in sanctis: Sed quòd Deus hominem in unitatẽ Personæ ita assumpserit, ut effundat in eum omnem suam maiestatem, & exaltet eum in omnem gloriam suæ diuinitatis, ut cum dicitur, Totus August. lib. 1. de Trinitate.

Deus eſt homo, ſignificet Deũſeſe cum omni ſua maieſtate totum in hominem effudiſſe. Sic & cum dicit: Totus homo eſt Deus, ſignificet, hominẽ accepiſſe à Deo totam diuinitatis eius gloriã & maieſtatem. Itaq; homo Chriſtus non uocatur propriè, ob illã cauſam Deus aut filius Dei, q; Deus impleat eum ſua præſentia, eſſentia, & potentia, ac ornet eum multis tam corporalibus, q̃ ſpiritualibus donis. Sic enim & Paulus, ſic Petrus, ſic omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & pij ac ſancti quique hoĩes poſſunt dici dij, & filij Dei. Vnde & Pſalmus uocat eos deos, Ego dixi (ingens) dij eſtis, & filij excelſi oẽs. Quare Chriſtus nõ uocat̃ propriè hac ratione Deus, ſed idcirco dicitur & eſt uerus Deus, q; filius Dei, qui eſt ſecunda in diuinitate Perſona, ſic aſſumpſerit, ſic exaltauerit, ſic ſibi uniuerit hominem Chriſtum, ut collocauerit eum in omni diuinitatis ſuæ gloria atq; maieſtate, quod beneficium nulli alteri creaturæ, nec homini, nec angelo contigit, præterq̃ ſoli ſemini Abrahę, atq; Dauidis. In illo, inquit Paulus, inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Noli hoc dictum oſcitanter intueri. Non ſimpliciter dicit Paulus, Inhabitat in illo deitas, ſed plenitudo deitatis. Nec hoc quidẽ ſimpliciter, ſed OMNIS plenitudo Deitatis. Nec hoc contentus eſt, ſed addit CORPORALITER, hoc eſt, abſolutè & perfectè. Quod quid ſibi uelit, nuper adeò, in eo ſcripto, in quo mea ſententia de libello Bullingeri extat, copioſe expoſui, & ueram eius ſententiã, ex ipſis Pauli uerbis oſtẽdi.

Colo. 2.

Etſi autem Cingliani ſuũ habent in ea interpretatiõe μυκτηρισμὸν, & dicunt ueteres Patres eum locum Pauli non ſic interpretatos eſſe, tamen iterum non quæritur, quid Patres, ſed quid Paulus ſcripſerit, & non quę fuerit Patrum, ſed quæ Pauli, qui autoritate omnes Patres antecellit,

tecellit, ſententia fuerit. Neq; tñ Patres ab ea ſententia, quam expoſui, abhorrent. Etſi enim non opponunt (q̃d ego ſciam) uocabulum (corporaliter) uocabulo (umbraliter) eo modo, quo ego ex ipſis Pauli uerbis explicui, tamen eandem ſententiam retinent. Cyrillus ait, Placuit in illo inhabitare omnem diuinitatis plenitudinem, corporaliter (hoc eſt) tanq̃ in proprio corpore. Noſtrum.n. corpus, proprium ſibi fecit. In hac fide fundata eſt Eccleſia Dei. Hactenus Cyrillus. Noſtrũ, inquit, corpus proprium ſibi fecit. Primum.n. filius Dei in incarnatione ſumpſit ſibi corpus noſtræ ſubſtantiæ, uidelicet ex ſemine Abrahę et Dauidis, Deinde hoc corpus fecit ſibi proprium. Quod quid ſibi uelit, aliâs clarè exponit, Caro, inquiens, nõ ad corruptibilẽ ſuam naturam iunctum Dei uerbum detraxit, ſed ipſa ad melioris uirtutẽ ELEVATA eſt. Et mox: Spiritum hîc ipſam carnẽ nuncupauit, non quia naturã carnis amiſerit, & in ſpiritũ ſit mutata, ſed quia ſummè cum eo coniuncta totam uiuificãdi uim HAVSIT. Et iterum: Spiritus per ſeipſum uiuificat, ad cuius uirtutem caro per coniunctionem CONSCENDIT. Ac rurſus: Verbũ humanitati cõiunctum, totã in ſeipſum ita REDVXIT, ut indigentia uitę poſſit uiuificare &c. Quod ergo Cyrillus dixit, filiũ Dei feciſſe corpus noſtræ ſubſtantiæ, ſibi proprium, ſignificat humanitatẽ à uerbo Dei aſſumptam, conſcendiſſe, & eleuatã, ac reductam (ut ipſe loquit̃) eſſe in tantam maieſtatem, ut in ea inhabitet perfectè & abſolutè oĩs plenitudo deitatis. In omni aũt deitatis plenitudine non continetur tm̃ uis uiuificandi, uerum etiã uis oĩa p̃ſenter & coràm gubernãdi. Quare, q̃ negant humanitatem à uerbo Dei aſſumptã, in gubernatione rer̃ nõ unà cum eo ſemper & ubiq; præſentẽ eſſe, manifeſtè negant, OMNEM DEITA- To. 4. pa. 103. To. 3.

DEITATIS PLENITVDINEM habitare in ea corpo-
Fol. 82. raliter. Et hic denuo audí non tolerandã uocem Martyris. Ad rerum omnium gubernationem, (inquit) & conseruationem, quid opus est humanitatis præsentia? Eadem ratione interrogares, Ad liberationem hominis ex peccato, quid opus erat incarnatione Christi? Ad abolẽdam mortem, quid opus erat morte Christi? An non Deus tanta erat uirtute, ut absq; incarnatione, & morte filij sui potuisset genus humanum redimere, & mortem abolere? Non incipis optime lector, uel tandẽ intelligere, quò Cinglianorum dogma euadat? Si enim excludunt præsentiam humanitatis Christi, à rerum omnium gubernatione & conseruatione, certè excludũt eam etiam à diuinitate, ut non sit cum ipsa una & indiuisibilis persona. Excludunt eam etiam ab ea maiestate, qua subiecta sunt ei omnia in cœlo & in terra. Quo quid potest horribilius dici? Sed pergamus.

To. 2. in Epist. ad Dardanum.

Similiter Augustinus cũ de hoc Pauli loco tractaret, recitat quidẽ usitatam expositionẽ, de antithesi corporis & umbrarum legis, sed addit: Aut certè (inquiẽs) corporaliter dictũ est, quia & in Christi corpore, quod assumpsit ex uirgine, tãq; in templo habitat Deus. Hinc est. n. quòd Iudæis signum petentibus, cum dixisset, Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud, Euangelista, quid hoc esset, consequenter exponens, ait: Hoc autem dicebat de tẽplo corporis sui. Quid ergo est? Hoc cine interesse arbitramur, inter caput & membra cætera, q̃ in quolibet, quamuis præcipuo membro, uelut in aliquo magno Propheta, aut Apostolo, quãuis diuinitas habitet, non tamẽ sicut in capite, quod est Christus, oĩs plenitudo diuinitatis. Nam etiam in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus

in

in capite, ubi prorsus OMNIS est quinquepartitus. Ibi.n.& uisus,& auditus,& olfactus,& gustus,& tactus. In cæteris aũt solus est tactus. Hactenus Augustinus. Vides ergo Augustinum ipsum docere, deitatem effusam esse in Christum filium hominis nõ umbraliter, sed corporaliter, hoc est, perfectè & absolutè: & effusam esse in eum, nõ unam tantum & alterã particulam deitatis, sed OMNEM DEITATIS PLENITVDINEM, ut quẽ admodũ in capite hominis, omnis prorsum sensus, nullo excepto, ineſt, ita & in Christo capite omnis prorsum deitatis plenitudo insit. Humanitas quidem ipsa, non fit deitas, nec mutatur in deitatem (extorquent enim mihi hunc ut ipsi uocant, coccysmum, Cingliani:) Recipit autem omnem deitatis plenitudinem. In ea uerò plenitudine non tantum continetur omnipotentia, uerumetiã omnipræsentia. Quid ergo aliud reliquum est, q̃ ꝙ etiã ipsa humanitas Christi perfundatur & ornetur, sicut omnipotẽtia, ita etiam omnipræsentia. Et qui adimit homini Christo omnipotentiam & omnipræsentiam, negat eum esse uerum Deum. Sicut enim Ariani quõdam affirmabãt quidem filium Dei, in Christo, esse Deum, negabant autẽ eum esse uerum Deum ab æterno à Deo Patre genitum, & eiusdem cum Patre substantiæ seu essentiæ. Ita Cingliani affirmãt quidem filium hominis in Christo esse Deum, negant autem eum à filio Dei ita assumptum, ut ornarit eum dono omnipotentiæ, omnisapientiæ & omnipresentiæ, quia dicunt filium hominis natura sua non esse capacem infinitæ potentiæ, sapientiæ, & præsentiæ. Itaq; negãt filium hominis esse uerum Deum. Et cùm Ioannes Euangelista dicit, Verbum caro factum est, intelligũt Deum quidem habitare in carne Christi, non autem effundere in hanc carnem omnẽ

deitatis ſuę plenitudinem perfectè, niſi quatenus natura carnis (quę qualis ſit appẽdix, mox explicabit) ſerat. Sed hoc uerè eſt Chriſtum redigere nõ ſolum in ordinẽ ſanctorum hoĩm, uerum etiam in ordinem oĩm aliarũ creaturarum. Deus. n. habitat in oĩbus creaturis, & tribuit ſuum cuiq; iuxta naturę eius capacitatẽ. Vt lapis, in quã tum eſt lapis, accipit à Deo duriciẽ. Lana in quantum lana, accipit molliciẽ: Aqua in quantũ aqua, accipit fluidã humiditatẽ. Q; ſi uel lana uel aqua fieret dura & inflexibilis, iam non amplius eſſet lana aut aqua, ſed fieret lapis aut ferrum. Sic & Deus iuxta Cinglianos habitat quidẽ in hoĩe Chriſto, non aũt tribuit ei oĩpotentiam, & omni præſentiam, quia natura humana niſi mutet in diuinã, nõ eſt iuxta ipſorũ ſententiã horum donorũ capax. Qua re etſi affirmant uerbis, ſe de Chriſto credere, q; Deus ſit homo, & homo Deus: tñ nihil certius eſt, ſi hæc ipſorũ argumenta conſideres & diligenter expendas, q̃ q; id re ipſa negẽt, et dãnent. Bullingerus recenſet alicubi diſcrimen diuinitatis & humanitatis in Chriſto, & cũ tribuiſſet diuinitati oĩpotẽtiam, poſtea de humanitate loquẽs, omittit nomẽ ſeu donũ oĩpotẽtię. Poterat uideri caſu factũ, ſi extra hanc controuerſiã contigiſſet, ſed cũ ipſe & Martyr apertè negẽt, homini Chriſto infinitã potentiã, ſapientiam & bonitatem collatã, nõ poteſt aliter iudicari, q̃ quòd ſit de induſtria factũ. Cùm igitur neget hominem Chriſtum eſſe oĩpotentem, quid aliud reliquũ eſt, q̃ quòd neget eum eſſe Deũ? Sic cùm adimit ei oĩpræſentiam, adimit ei etiam gloriam & maieſtatem deitatis.

Fo. 65. fa. 2.

Sed priusq̃ pergamus, recitabimus adhuc unũ & alterũ dictũ Auguſtini, ut cognoſcamus, quòd Auguſtinus etiãſi uideat aliâs humanitati Chriſti maieſtatem omnipræſentiæ detrahere, & Chriſtũ ita diuidere, ut iuxta uul

gatam

gatam multorum patrum opinionem, ſolam deitatem eius ubiq; diffundat, corpus aũt, ſeu humanitatem eius in uno tm̃ loco collocet, ac circumſcribat, ueritatem tñ nec ignorauerit, nec ſuo loco, cum ſe à phyſicis imagi-natiõibus auertiſſet, tacuerit. Vnus (inquit) Chriſtus ſecundum unitatem perſonæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quemadmodum erat filius Dei in terra. Filius Dei in terra in ſuſcepta carne. Filius hominis in cœlo, in VNITATE PERSONAE. Ac rurſus: Chriſtus filius Dei ſecũdum diuinitatem, hoīs filius ſecundum carnem. Quis autem noſtrũ, qui parum aduertimus aut parum ſapimus, non potius ita uellet diſtinguere, filius Dei in cœlo, & filius hoīs in terra. Sed ne ſic diuideremus, & ita diuidẽdo duas perſonas induceremus: Nemo, inquit, aſcendit in cœlum, niſi q deſcendit, filius hoīs, q eſt in cœlo. Chriſtus deſcẽdit, idemq; filius hoīs, qui filius Dei, ſedet in cœlo, qui ambulat in terra, in cœlo erat, quia ubiq; Chriſtus. Idẽq; Chriſtus & filius Dei, & filius hoīs, Propter VNITATEM perſonæ in terra filius Dei, propter eandẽ unitatẽ perſonæ, pbauimus eſſe in cœlo filium hoīs, &c. Quis noſtrum (inquit Auguſtinus) qui parum aduertimus, aut parum ſapimus, nõ potius ita uellet diſtinguere, filius Dei in cœlo, & filius hominis in terra. Quot aũt ſunt eorum ſcriptorũ, qui cum de Chriſto adhuc in terris ambulante loquuntur, ſic diſtinguunt, ut dicãt, eum non niſi deitate ſua eſſe in cœlo, humanitate aũt in terra tm̃? Quot etiam ſunt, q cum de Chriſto iam in maieſtatem ſuam exaltato loquunt̃, ſentiant deitatem quidem eius eſſe in cœlo & in terra, humanitatem aũt eius non eſſe in terra, ſed tm̃ in certo aliquo loco cœli? Hi ergo parum, iuxta Auguſtinum, aduertunt, parumq; ſapiunt.

To. 9. in Ioan. cap. 6.

Tom. 7 de peccator. meritis & remissione. lib. 1.

Sed audiamus iterum Augustinũ de Christo, in cœlo & in terra præsente. Quamuis, inquit, in terra factus sit filius hominis, diuinitatem tamẽ suam, qua in cœlo manens, descendit ad terram, non indignã censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filij Dei, ne quasi duo Christi accipiãtur, unus Deus, & alter homo, sed unus. ℞ idẽ Deus & homo: Deus, quia in principio erat uerbum, & Deus erat uerbum: homo, quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ac per hoc, per distantiam diuinitatis & infirmitatis, filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra. Per unitatẽ uerò personæ, qua utraq; substantia unus Christus est, & filius Dei ambulabat in terra, & idẽ ipse filius hois manebat in cœlo. Fit ergo credibilior fides, ex incredibilioribus creditis. Si.n. diuina substãtia lõgè distãtior & incõparabili diuersitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanã substantiã, ut una psona fieret, ac sic filius hominis, qui erat in terra, per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cœlo, per participatã carni diuinitatem: quanto credibilius alij homines sancti & fideles eius, fiunt cũ homine Christo, unus Christus, &c. Hactenus Augustinus. Vides autem, q̃ diserte doceat omnipræsentiã Christi. Filius hominis (inquit) qui erat in terra, per carnis infirmitatem, idem ipse erat in cœlo, per PARTICIPATAM CARNI DIVINITATEM. Duo tribuit filio hominis, filio, inquã, hominis: alterum, carnis infirmitatẽ, qua se humiliauit, & factus est obediens usq; ad mortem crucis. Et secundum hanc infirmitatem fuit in terra, ambulauit in terra, uisus est in terra, cõcionatus est in terra, passus est in terra, mortuus est in terra, & quæ alia opera sunt humiliationis, (de qua, uolente Deo paulo pòst plura) peregit in terra. Nec sentiendum

sentiendum est, q̃ secũdum hanc seu infirmitatis seu humiliationis formam fuerit tunc in cœlo, aut impleuerit omnia. Alterũ, diuinitatem carni participatam, qua caro eleuata est perfectè ad omnem deitatis plenitudinẽ, ut sicut Deus ipse est omnipotẽs & omnipræsens, ita & caro ad omnem deitatis plenitudinem perfectè eleuata omnipotens esset & omnipręsens. Non certè uoluit Augustinus hoc loco, Christum Petro aut Andreę similem facere, quorum humanitas erat in terra, diuinitas autẽ, quæ ipsos implebat, erat in cœlo & in terra, sed uoluit eam maiestatem, quam filius hominis præ omnibus suis cõsortibus habuit, explicare, uidelicet, q̃ cum Petri aut Andreæ caro in terra tãtum esset, filij hominis caro fuerit etiam in cœlo propter unitatẽ personę cum filio Dei, seu propter participatam carni diuinitatem. Sed quorsum hæc omnia? Nimirum ut ostendamus, quę sit uera sententia illius articuli religionis nostræ: Ascẽdit in cœlum, sedet ad dextrã Dei Patris omnipotẽtis. Cum enim dicitur de Christo, Ascendit in cœlum, non est intelligendum q̃ Christus postquam in ascensu suo uisibili susceptus est à nube, & subductus ab oculis discipulorum, cõscenderit per orbes planetarum, Physica motione, & inuaserit in ficticium illud & corporale cœlum, quod Empyreum uocant, in quo sedeat, stet, ambulet, & corporali modo circumeat, sed quòd consederit ad dexteram Patris sui omnipotẽtis. Dextera autem Dei non est certus aliquis locus in cœlo, sed est omnipotẽtia & uniuersa maiestas Dei. Nec sedere ad dextram Dei, est mundano modo in certo quodam loco cœli sedere, aut obambulare, sed est gloria & honore coronatum esse, omnia sibi subiecta habere, omnem potestatem in cœlo & terra possidere, supra omnem principatum, potestatem,

uirtutẽ & dominationem, adeoq; supra omne nomen, q̃d uel in hoc mundano uel in altero spirituali & cœlesti seculo nõiari potest, exaltatũ esse, oĩa in oĩbus adimplere, adeoq; in summã sublimitatẽ, & maiestatem ita elatum esse, ut ab oĩbus cœlestibus, terrestribus, & infernis creaturis adoret. Hoc certè est esse Deũ omniscientẽ, omnisapientem, omnipræsentem, & omnipotentẽ. Cingliani aũt sentiunt, quòd humana natura, quę est finita, nõ possit ferre infinitam potentiã, sapientiam, bonitatẽ & iusticiam. Quid ita? quia iuxta Aristotelem finiti ad infinitũ nulla est proportio. Deinde corpus, inquiunt, non potest esse aut manere uerum corpus, nisi sit in loco circumscriptiuè. Postremò fieri non posse aiunt, idq; ne diuina quidem omnipotentia, ut uerum corpus, manens uerũ corpus, aut fiat spiritus, aut in oĩa loca extendatur, & sit simul in pluribus aut oĩbus locis. Hîc solent metiri & suis limitibus definire omnipotentiã Dei, uidelicet Deum non oĩa simpliciter posse. Neq;.n. Deum facere posse, ut quæ facta sunt, sint infecta. Hîc & Hieronymus citatur. Audenter (inquiens) loquar, Deus cùm omnia possit suscitare, uirginem post ruinam nõ potest. Hîc & Theodoretus adducitur qui ait: Non enunciãdum esse indefinitè omnia Deo possibilia. Hîc etiam affirmatur Deum non posse facere, ut triãgulus sit quadrangulus, utq; numerus ternarius sit quaternarius, sicut & quondã eodem ferè argumento Plinius ille ἄθεος Epicureus oĩpotentiam Dei oppugnauit: Verba eius subijciamus: Imperfectæ, inquit, in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Namq; nec sibi potest mortẽ cõsciscere, si uelit, quod homini dedit optimũ in tãtis uitæ pœnis: nec mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos: nec facere, ut q̃ uixit, nõ uixerit: q̃ ho-

nores

nores gessit, nõ gesserit, nullũq; habere in præterita ius præterq̃ obliuionis: Atq; (ut facetis quoq; argumentis societas hæc cum Deo copuletur) ut bis dena, uiginti non sint, ac multa similiter efficere non posse. Hactenus Plinius. Breuiter ea fieri non posse affirmant, quæ rei naturæ ac definitioni repugnant. Hic est Cinglianorum murus aheneus. Etsi.n. dissimiles sunt eorꝝ sententię, & alij quidem affirmant Deũ posse efficere, si uellet, ut uel corpus non sit in loco, uel unum corpus sit simul in pluribus locis: alij uerò, inter quos & Martyr est, simpliciter negant Deum id posse, nisi mutet corpus in spiritũ, tñ quia & in summa rei conueniunt, & si omnipotentia Dei in hac re fuerit comprobata, uoluntatem eius non erit difficile ex manifesto uerbo ipsius demonstrare, relinquemus in pręsentia suis somnijs eos, qui uoluntatẽ tm̃ Dei negant, quòd & ipsi suos habeant antagonistas, pugnabimus aũt cũ ijs, q omnipotentiam Dei uellicãt. Ac aliâs quidẽ in nostroꝝ scriptis extat luculenta de oĩpotẽtia Dei explicatio, qua ista Cinglianoꝝ opinio piè & eruditè refutat̃. Nec opus esset, ut ego actũ agerẽ, sed quia Cingliani decernunt sibi his argumẽtis triũphum, & occasio nõ est negligenda, dicam & ego, quæ ad hanc rem explicandã utilia uident̃. Quod igitur ad capacitatem humanæ substantiæ attinet, etsi ea suam habet mẽsuram à Deo conditam, tñ Deus cum sit & liberrimũ & potentissimũ agens, nõ sinit sibi limites præscribere, q̃s in rebus suis cõditis, si uoluerit, non transgrediat̃: Oĩa, inquit Psalmus, quæcunq; uoluit, fecit (loquimur autẽ hic nõ de uoluntate Dei, quã Scholæ uocãt signi, sed de ea, quam uocãt, beneplaciti) Non facit quidẽ Deus oĩa, quæ potest. Quæcunq; aũt uult, ea & potest, & facit, ut manifestum sit, quòd quemadmodum non est aliud in

uno-

unoq; natura, q; quod Deus uult, & q̃d dat, ita oĩa præbeãt seſe uoluntati Dei ad agendũ naturaliter. Recte Basilius: θεῖος λόγος φύσις ἐστὶ τῶν γινομένων. Diuinum uerbũ est natura eorũ quæ fiunt. Itaq; q̃d ignis calefacit & adurit, natura eius est, quia Deus uult. Si aũt uellet, ut frigefaceret, & non adureret (id quod uoluit in igne Babylonico, in quem tres adolescentes apud Danielem coniecti erant) tum hoc uideretur quidem nobis cõtra naturam, Deo aũt esset secũdum naturã, quia uoluntas seu λόγος eius est rerum natura. Reliquum igit̃ est, quòd ea humanæ substãtiæ capacitas sit naturalis, quam Deus uult. Ac in alijs quidẽ hominibus (ut in Ioanne Baptista, Petro, Paulo & alijs sanctis) uult capacitatem suis finibus esse circumscriptã, & suis limitibus definitam, ut tantum capiant, quantũ uoluntate Dei capere possunt. Quare conferuntur in ipsos cœlestia & diuina dona secundũ mensuram. In filio autem hominis, quem filius Dei in unitatem personæ assumpsit, & sibi inseparabiliter uniuit, uoluit esse capacitatem incircumscriptam, immensam & infinitam. Quare potuit etiam in eum cõferre, ac contulit quoq; immensa & infinita bona. Non uoluit quidem, ut substantia Dei, quæ est spiritus, mutaretur in substantiam hominis, quæ est corpus & anima ratione prædita, sed uoluit ut illa essent in unam inseparabilem personam ita unita, ut substantia hominis, in Deum assumpti, esset infinitorum beneficiorum Dei capax.

Vnde ergo hæc Dei uoluntas probabit̃? Non certè probabit̃ ex schola Aristotelis, cuius axioma est, λόγος δὲ οὐδεὶς πρὸς τὸν ἄπειρον πρὸς τὸ πεπερασμένον, Finiti ad infinitũ nulla est proportio. Sed è schola Christi, cuius axioma est, Verbum factum est caro, hoc est, Deus factus est homo, & homo factus est Deus. Itaq; cum quæritis,

quomodo

quomodo infinitum posit esse finitum, & finitum posſit esse infinitum? Vicissim & ego quæro, quomodo Deus posit esse homo, et homo posit esse Deus? Si hoc concesseris, quid est quòd illud abomineris? An nõ homo est finitus, & Deus infinitus? Quod igitur est discrimen siue dixeris, finitum est infinitũ, siue homo est Deus? Respondebis fortè, finitum humanitate, est infinitũ deitate. Sed idem ipsum (sicut tu intelligis) de Petro, de Paulo ac de alijs sanctis dixeris. Ego uero inquiro nunc, quod & suprà attigimus, discrimen inter Christum & Petrum. Illud (inquies) est discrimen, quòd deitas unita est humanitati Christi in una persona, non sic autem est unita humanitati Petri. Rectè. Sed cum de Christo sermo est, quid in una persona unitum esse aliud est, q̃ ita inseparabiliter esse coniunctum, ut non solum, ubicunque est deitas, ibi quoque sit humanitas, uerumetiam ut deitas omnem suam maiestatem humanitati communicauerit? quemadmodum suprà copiosè demonstrauimus. Quare si quæsieris quomodo humanitas Christi posit esse capax omnipræsentiæ, uicissim quæram & ego, quomodo eadem humanitas posit esse capax omnis plenitudinis deitatis corporaliter? Si huius infinitæ rei capax est, quomodo non etiam illius? Et si totus homo est Deus, & totus Deus est homo, quomodo homo non esset, ubicunq; est Deus? Plus ne est esse ubicũq; Deus est, quàm esse Deum ipsum? Sed pergamus uoluntatem Dei de immensa capacitate filij hominis in Christo exponere. Quid aũt pluribus opus est, cum suprà copiosè testimonia de immensa & ineffabili maiestate humanitatis Christi recitauerimus? Quæ omnia testificantur, Deum non solum uoluisse, ut humanitas filij sui esset capax infinitæ maiestatis, uer umetiã re-

ipſa, quod uoluit, impleuiſſe. Data eſt mihi (inquit Chriſtus) OMNIS poteſtas in cœlo & in terra. At hæc eſt immenſa & infinita poteſtas. Fecit eum ſedere (inquit Paulus) ad dexterã ſuam, in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, ac poteſtatem, & uirtutem & dominium, & OMNE NOMEN, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, uerumetiam in futuro. At hanc maieſtatem nõ poteſt ullus nec humanus nec angelicus intellectus metiri aut definire. Et iterum: In illo COMPLACVIT Patri uniuerſam plenitudinem inhabitare. Ac mox clarius quod paulò antè commemorauimus: In illo inhabitat ONNIS Plenitudo deitatis corporaliter. Et rurſus: In quo ſunt OMNES Theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. Quis autem tu es, qui poſſes hanc plenitudinem, & hos Theſauros comprehendere & numerare? Habes igitur tantam eſſe rerum capacitatem, quantam Deus uult. Et quia filius hominis, quem filius Dei in unitatẽ ſuæ perſonæ aſſumpſit, capax fuit omnis plenitudinis deitatis corporaliter, quemadmodum hactenus clarè oſtendimus, manifeſtum eſt, quòd etiamſi humana ſubſtantia alioqui ſit finita, tamen Deus uoluerit eam in Chriſto facere ac fecerit etiam capacem infinitæ potentiæ, ſcientiæ, ſapientiæ & præſentiæ.

Quid ergo, inquient, quòd toties in ſacra ſcriptura reprehenſeantur imbecillitates & ignorantię Chriſti? quid ꝙ in uno & certo loco, in utero uirginis conceptus eſt? & poſtq̃ naſcitur in præſepi collocatur, adultus in certo loco aut ſedet aut ambulat. Et poſt reſurrectionẽ certis locis circumſcribitur & diſcipulis apparet. Poſt aſcenſum ſuum in cœlum, apparet & Stephano, & Paulo in certis locis. Quomodo ergo, qui humanitate ſua certis locis circumſcribitur, eadem omnia impleret? Hîc repetendus

dus & explicandus erit locus Pauli, qui est de exinanitione & exaltatione Christi, in Epistola ad Philip. cap. 2. Idē affectus, inquit Paulus, sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cùm esset in forma Dei, nō rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum cōstitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus exaltauit illum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut nomine Iesu omne genu se flectat, &c. Primum omnium, non ignoro magnam partem ueterum interpretum nomine formæ Dei in hoc loco intelligere diuinam essentiā, & alioqui nō est inusitatum, ut p forma rei intelligat essentia eius. Ac omnino uerissimum & certissimum est, quòd persona Christi constet ex uerbo & carne, hoc est, ex duabus naturis, Diuina uidelicet & humana. In expositione autem sacræ scripturæ non solum expendendum est, quid per se sit uerum, sed etiam quid ei dicto, quod interpretādum suscepisti, conueniat, & quam sententiam circumstātiæ in manus tradant. Quare sentio, q in hoc loco Pauli, nomine formæ Dei, non sit intelligenda essentia Dei, sed maiestas seu proprietates diuinæ, quæ Christo homini, ex personali uniōe sunt cōmunicatæ. Nam & ipsum μορφης (hoc est) formæ uocabulum, nō semper significat essentiam, sed etiam speciem seu aspectū, ut Iudi. 8. Qua forma (sic enim Hebræus legit) fuerunt uiri, quos interfecisti in Thabor? Et Esa. 53. Non erat ei forma, quod nos legimus, species. Et Matth. 17. Christus coram discipulis μετεμορφώθη, trāsformatus est. Non fuit autem mutata essentia eius, sed tantum forma seu species & aspectus, qua splen

duit facies eius, ſicut Sol, & ueſtimenta illius facta ſunt candida ſicut lumen. Sic & in præſenti loco Pauli, μορφὴ accipienda eſt pro ſpecie & aſpectu, ſeu proprietate, ut forma Dei ſit ſpecies diuina, ſicut & forma ſerui, ſpecies aſpectus ſeu proprietas ſeruilis. Et cum hac interpretatione conueniunt etiam nonnulli ueterum, ac præſertim Ambroſius, qui pro forma intelligit, ſimilitudinẽ, ſpeciem ſeu ſpecimen. Sed uera huius loci ſentẽtia non poteſt rectius cognoſci quàm ex ipſis Pauli uerbis, & è loci circũſtantijs. Non enim dubium eſt, quin cum Paulus poſtea recitat exaltationem Chriſti, intelligat exaltationem humanitatis eius, Deitas enim filij Dei, nõ tum primum exaltata eſt, cum Chriſtus uel homo factus eſt, uel aſcendit in cœlum, & conſedit ad dexteram Dei, ſed fuit iam inde ab ęterno exaltata, quippe quę ſit eiuſdem eſſentiæ & gloriæ cũ Deo Patre & Spiritu ſancto. Cùm igitur Paulus dicit: Deus extulit illum in ſummam ſublimitatem, intelligit humanitatem eius eſſe exaltatam. Si autem in explicatione maieſtatis Chriſti, hoc loco intelligẽda eſt humanitas eius, certè ut antitheſis conſtet, cùm ſit ſermo de Inanitione & humiliatione Chriſti, intelligendum eſt, de inanitione & humiliatione humanitatis eius, præſertim cùm additur Chriſtum humiliatũ eſſe uſq; ad mortem crucis, quam nõ deitatis, ſed humanitatis natura ſubijt. Ac uerè quidem dici poteſt deitatem ſe in eo humiliaſſe, quòd dignata eſt ſuſcipere hominem in eandem perſonam, in præſentia autem non quærimus quid aliquo modo uerè dici poſsit, ſed quæ ſit uera dicti Paulini ſententia. Deinde non eſt ſentiendum, quòd humanitas Chriſti tum primum exaltata ſit in ſummã ſublimitatem, & acceperit omnẽ poteſtatem in cœlo & in terra, cùm aſcendit uiſibiliter ex mon

te

te Oliueti, in cœlum, sed cum Verbum caro factum est, & cum in utero uirginis Deus assumpsit hominem in eandem personam. Quæ enim maior est exaltatio, quę est excellentior sublimitas, quàm cum homo assumitur à Deo in unitatem personę, & fit Deus ipse? Hoc autem non tum primum factum est, cùm Christus resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum uisibiliter, sed factum est, cùm in utero Virginis incarnaret. Nec tum primũ dixit DOMINVS Domino nostro, Sede à dextris meis, cũ nubes subduxit eum in monte Oliueti à conspectu discipulorum, sed cum Maria ad angelum diceret, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Quare Christus homo, cum fuerit ab initio incarnationis uerus Deus, fuit etiam tunc exaltatus in summam sublimitatem, & accepit omnem illam maiestatem & potestatem quam suprà commemorauimus. Quid ergo est, dicet quispiam, quod Euãgelista scribit, Nondum (inquiens) erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus? Et Petrus: Hunc Iesum (inquit) suscitauit Deus cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, &c. Si homo Christus tum demum fuit in gloriã & maiestatem suam exaltatus, cum uel à mortuis resurrexit, uel in cœlum uisibiliter ascendit, & Spiritum sanctum misit, quomodo dicitur in sua incarnatione exaltatus? Exposuimus iã perspicuè, quòd homo Christus tunc ascẽderit ad diuinam maiestatem, cùm assumptus est à filio Dei in eandem personam, quam etiam maiestatem testificatus est ante mortem & resurrectionem suam uarijs argumẽtis, & ut Petrus ait, Virtutibus, prodigijs & signis. Quare, cùm dicitur tum primum exaltatus, cùm ascendit in cœlum, & misit Spiritum sanctum, intelligẽdum est iuxta uulgatam regulam, qua res tunc

dicitur fieri, cū incipit manifestius patefieri. Vnde. Ro. 1. scribit Paulus, Qui declaratus (inquiens) fuit filius Dei, cum potentia, secūdum spiritum sanctificationis, ex eo q̄ resurrexit à mortuis &c. Christus. n. non tunc primū factus est filius Dei, cum resurrexit à mortuis, sed declaratus & manifestatus est, ut quod antè uerè erat, & imbecillitatibus carnis tectum fuerat, nunc resurrectione reuelaretur, & manifestè comprobaret. Sic & Petrus ait: Certò sciat tota domus Israel, q̄ Dominum & Christū fecerit Deus hunc Iesum, quē uos crucifixistis. Nō tum primum Iesus factus est Dñs & Christus, cum effudit spiritum sanctum in Apostolos, sed q̄d iam ab incarnatione fuit, in resurrectione & ascensu in cœlū, ac missione spiritus sancti, clarioribus & efficacioribus argumētis, q̄ antea miraculis, qualia etiam Prophetæ quondam designauerant, patefactū est & declaratū. Hoc idcirco uisum est paucis attingere, ut apertè cognoscatur, in q̄ tetros errores Martyr collabat. Scripsi. n. in libello de personali unione duarū naturarū in Christo, q̄ sit ascensus Christi in cœlū uisibilis, sit & inuisibilis, ac diserte expo/ sui in eo loco, quòd nomine inuisibilis ascēsus intelligā partim incarnationē Christi, qua Verbum caro factum est, & filius hois assumptus est à filio Dei in eandem personam, ut homo esset Deus, & ornaret omni diuina maiestate: partim Resurrectione Christi à mortuis, qua declaratum & cōprobatum est, hoiem illum assumptum, esse uerum Deum, & omni diuina maiestate ornatum. Et hoc uerè dicitur Ascendere (sed inuisibiliter) in cœlū (hoc est) in cœlestia bona. Quid. n. est abiectius, & contemptius hoie? Quid est sublimius & magis cœleste Deo? Nunc, si homo è sordibus suis assumit, & exaltat in tam cœlestē sublimitatē, ut sit una persona cum Deo, & fiat

uerus

uerũs Deũs, an nõ is rectissimè dicitur in cœlum Ascendere? Certè, nisi homo Christus hoc modo antea, in incarnatione sua in cœlum ascendisset inuisibiliter, nõ potuisset postea in monte Oliueti ascendere uisibiliter, & Apostolis mittere de cœlo Spiritum sanctum mirabiliter. Quid autẽ Martyr? Non solum hoc irridet, uerum etiã uocat nouum, peregrinum & inauditũ dogma. Et addit: Sed ita (inquiens) fieri oportet. Nam figmẽta ubiquitatis cõsistere non possunt, nisi & nouis & magis absurdis fictionibus fulciantur, &c. Ita ne Martyr tibi nouum, peregrinum & inauditum dogma, atq; absurda fictio est, Verbum esse factum carnem? filium Dei assumpsisse filium hominis in suam eandemq; personam? & hominem esse factum Deum? Hoc em̃ est hominem Christum ascẽdere inuisibiliter in cœlum. Quare si Martyr non intelligit meam sententiam, & tamen damnat, quid est magis temerarium? Si autem intelligit, & damnat, quid eo est magis peruersum? Nam quòd Paulus dicit Ascẽdisse Christum super omnes cœlos, ut omnia impleret, non significat eum tunc primum unà cum humanitate sua cœpisse omnia implere, cũ uisibiliter ascẽderet, sed significat iuxta regulã paulò antè expositam, eum tunc manifesto spectaculo uoluisse testificari & declarare, se uerum Deum & hominem, hoc est, unà cum diuinitate, & humanitate sua iam inde ab initio suæ incarnationis, omnia impleuisse. Quid ergo Martyr addit: Si iam antea, inquiens, implebat omnia, ob hypostaticam unitatem cum diuinitate, quam à sua incarnatione semper habuit, frustra uisibiliter ascẽdebat, ut id consequeretur? Hoc iam nõ est mihi, sed Paulo, sed Christo ipsi insultare. Paulus dicit: Ascẽdit supra omnes cœlos, ut omnia impleret, ac manifestum est, quòd nõ iampri-

mum

mum ab aſcenſu ſuo in cœlum accepit omnipotentiam & omnipræſentiam ſuam, ſicut ſuprà multis ſcripturæ teſtimonijs comprobatum eſt. Habuit enim hanc maieſtatem iam inde ab utero matris ſuæ. Quare Paulus his uerbis non ſignificat Chriſtum deſcenſu & aſcenſu ſuo, hoc primum tẽpore accipere ſuam à Deo maieſtatẽ omnia tam infera q̃ ſupera implendi & coràm gubernãdi, ſed antea acceptam & ſibi donatam patefacere ac teſtificari. Dicit & Chriſtus apud Ioannem: Quid ſi uideritis filium hominis aſcendentem eo, ubi erat prius. Inſultet igitur Martyr Chriſto, & dicat: Si antea Filius hominis erat in cœlo, quid opus erat, ut eò aſcẽderet? Dicet, Chriſtus erat ibi diuinitate, quo poſtea aſcendit humanitate. Duas ergo perſonas, aut duos Chriſtos, q̃d in ipſo eſt, facit. Alterum, qui erat tam diuinitate, quàm humanitate in terra. Omnino enim, ſicut cœlum & terra diuerſiſſima ſunt loca, ita quæ diuerſiſſimis locis diſtinguuntur, & à ſeinuicem ſeparantur, non ſunt nec poſſunt eſſe perſonaliter unita. Sed abeant delíria Martyris. Nam de cœlo & regno Patris, de quorum diſcrimine, neſcio quæ fingit, poſtea, Deo propicio, copioſius. Et quæ de perſonali unione ad præſens inſtitutum faciunt, ſuprà ſatis ſunt expoſita. Reuertemur igitur ad locũ Pauli ad Philip. quem paulo antè recitauimus. Chriſtus (inquit) cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo. Oſtendimus ſuprà, quòd etſi aliquoties uocabulum formæ accipitur pro rei eſſentia, & Chriſtus eſt ſecundum ſpiritum ſanctificationis (ſicut Paulus Roman. 1. loquitur) uerus ab æterno Deus, tamẽ in hoc Pauli loco uocabulum formæ Dei accipiendum ſit pro proprietatibus, conditionibus, & ornamentis deitatis, quibus filius hominis, quem Filius Dei in unam perſonam aſſumpſit,

assumpsit, propter personalē unionē, decoratus est. Homo igitur Christus habuit ab initio incarnationis hanc participatā sibi diuinitatē (ut Augustinus loquit) aut æqualitatem Dei (quēadmodum Paulus ait) ut esset uerè omnipotens, omnisciens, omnisapiēs, omnijustus, et omnipræsens. Hoc.n. est hominē esse Deo æqualē. Hoc affectauit Satan in cœlo, Adā in Paradiso, Rex Babylonius in Chaldea, Romanus Pontifex in Ecclesia, Sed solus Christus, filius hois assecutus est. Ac Cingliani concedūt quidē humanitati Christi, uerbis suis, multas, magnas & excellentes dotes, non concedunt aūt ei omnipræsentiam, seu quo uocabulo ipsi utuntur, ubiquitatē, nec facilè dant ei infinitam potētiam, sapientiam, bonitatem, & iusticiā. Quid ergo deitatis ei relinquunt? Adimunt ei omnipræsentiam, adimunt oīpotentiam, adimunt omnisapientiā adimunt omnijustic ā. Quid obsecro hoc aliud est. q̄ apertè negare hominem Christum esse in forma Dei adeoq; uerum esse Deū? Sed bene habet. Sedet ille ad dextram Dei patris sui, & tutus erit procul dubio ab omni horum gigantum incursione. Quid ergo? Cū Christus in forma Dei fuerit, num hac forma tyrannicè aut ambitiosè abusus est? Nihil minus. Potuisset quidem maiestatē Dei, qua ornatus erat, statim uel in utero matris adhuc existēs, uel ex utero egressus, manifestè exercere, ac publicè tam in cœlo, q̄ in terra ostentare, sed noluit eam inobedienter, contra uolūtatem & mandatum Dei, atq; contra uocationem rapere, quemadmodum Satā & Adam conati fuerant. In capite libri (inquit) scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuā, Deus meus uolui, & lex tua in medio cordis mei. Et iterum: Descendi de cœlo, ut faciam, non quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Voluit autem is, ut ea sī

ornasset me ab initio incarnationis meæ, omni sua maiestate, tamen non raperem eam contra suam uoluntatẽ utendam, sed obedirẽ uocationi eius, & expiarem mea obedientia quod Adam sua inobedientia, qua uoluit iuxta suasionem Satanæ, rapere sibi æqualitatem Dei, designauerat. Quę fuit ergo illa Christi obediẽtia? & quid, cũ esset in forma & maiestate Dei, fecit? Nõ abiecit quidem, neq; abnegauit suam maiestatẽ, ne quidem corã Synodo Pontificum. Sed Inaniuit seipsum. Quid ergo est, Inanire seipsum? Sequit. Forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortẽ, mortem autem crucis. Inanire igitur seipsum, est formam serui sumere, se in similitudinem hominum constituere. & quæ sequũtur. Forma autem serui, opponitur formę Dei. Sicut enim forma Dei est aspectus & ornatus diuinæ maiestatis ac dominationis, ita forma serui, est aspectus & deformitas, qualem serui habent, præ dominis huius terræ. Nihil uidetur abiectius, nihil uilius, nihil contemptius seruis in hac terra. Quicquid serui acquirunt, domino acquirunt. Necesse habẽt serui uilissima quæq; ministeria domino præstare. Dominus habebat quõdam in seruum potestatem uitæ ac necis. Ac breuiter, serui à iumentis nihil aut parum coram dominis differre uidentur. Hæc est seruorum forma. Et hanc formã Christus sumpsit. Potuisset iuxta formam Dei, qua ornatus erat, dominationem in cœlo & terra exercere, & incedere rex cœlestis & terrestris. Sed quanquam possideret eam maiestatem, tamen texit & obduxit eam forma serui. Apparuit omniũ uilissimus: natus in Bethlehem, non habuit honestum locum in diuersorio, sed reiectus est ad stabulum iumẽtorum, & reclinatus

clinatus est in præsepi, obambulauit in terris pauperrimus, non habens ubi recumberet capite: uocatus ad ægrotos, uenit, ut seruus ad dominum. Pedes discipulorum lauit, quod est officium nimis seruile. Captus à magistratu, multas plagas, sicut seruus accepit. Quid multis opus? Esaias uocat eum ex mandato cœlestis Patris, seruum, & uirorũ nouissimum. Voluit igitur obedire uoluntati Patris, & sumpsit formam abiectissimi serui.

Sequit̃ ultrà de Inanitione. In similitudine hoĩm constitutus. Hoc idcirco dicit̃, non q̃ Christus non fuerit uerus homo, qui corpore et anima rationali constat, sed q̃ in modum hominum sustinuit omnia humanarum imbecillitatum genera, nascendo, increscendo, robore corporis, & intellectu mentis augescendo, potu & cibo indigendo, esuriendo, sitiendo, sedendo, de loco in locum ambulãdo, et quicquid est harum infirmitatum. Potuisset iuxta formam Dei, quam habebat statim ab initio incarnationis, non tantum heroico & cœlesti corpore q̃d nullo nec cibo, nec potu nec motu locali indiguisset uideri, uerumetiam summam mentis sapientiam ostentare, et lingua angelorũ loqui. Sed quia erat tempus Inanitionis, uoluit in similitudine hoĩm cõstitui, & humanis imbecillitatibus obnoxius esse. Sequitur ultrà. Habitu seu figura repertus ut homo. Pro habitu seu figura Paulus utitur uocabulo σχηματος, quod significat effectionẽ quandam, quæ fit uultu, sermone, gestu, actione. Vnde & Rhetores uocãt Schema orationis. Et aliàs apud Paulum, Schema huius mundi præterit. Eiusmodi Schemata sunt gaudium, quies, labor, pauor, dolor, tristicia, & qui sunt id genus affectus. Christus igitur, & si erat in forma Dei, & potuisset semper cœlesti gaudio frui atque omni molestia carere, tamen nihil humani affectus

(præter peccatum) à se alienũ putauit: Gauisus quidẽ est aliquoties, & exultauit in spiritu, sed mediocriter. & gaudio succesit tristicia. Doluit, horruit, fleuit, & palàm affirmat, tristẽ esse animã suam usq; ad mortem. Sequitur: Humiliauit seipsum, factus obediẽs usq; ad mortẽ. mortẽ aũt crucis. Hęc est antitheſis ad Adamũ. Nam Adam creatus ad imaginem, & similitudinẽ Dei, non fuit contẽtus hac Dei similitudine, sed erexit se animo suo, & affectauit etiã Dei æqualitatẽ. Itaq; factus est uolũtati Dei inobediẽs. Christus aũt secũdus Adam, etsi erat ornatus forma & æqualitate Dei, tamen non elatus est animo, nec insultauit alijs propter suã maiestatẽ sed potius deiecit se. & obediuit uoluntati Dei usq; ad probrosissimam mortẽ. Quid ergo Christus hac inanitione, humiliatione, & morte consecutus est? Quod quidẽ ad alios homines attinet, illud est cõsecutus, ut cœlestis Pater propter tantam filij obedientiã recõciliaretur cum humano genere, ut quotq; crederent in Christum, haberent remissionem peccatorum, & reputarentur iusti, ac reportarẽt ęternam uitam. Quemadmodum. n. (inquit aliàs Paulus) per inobedientiã unius hominis peccatores cõstituti fuimus multi, ita per OBEDIENTIAM unius cõstituunẽ multi iusti. Quod aũt attinet ad ipsam Christi personam, Deus ὑπερύψωσε, hoc est, superexaltauit, seu in summam sublimitatem extulit eum. & donauit ei nomen, quod est super omne nomen. Quod ergo est illud nomen, q̃d est super omne nomen? Duo sunt pręcipuè nomina, sicut supra dictum est, in uniuersa rerum natura. Alterum est Deus æternus, rerum omnium creator, quod est nomen super omne nomen. Alterum est creatura, à Deo, suo tempore, condita, hoc est nomen infra nomen Dei. Humanitas autem Christi nõ est Deus ab

ęterno,

æterno, sed pertinet in catalogũ creaturarꝝ, quippe quæ sit in plenitudine tẽporis, in utero uirginis cõdita & formata. Quid igitur factũ est? Hæc creatura, quæ ad præstãdam Deo Patri obedientiã deiecit se in mortem crucis, elata est in summam sublimitatẽ, & donatum est ei nomen super omne nomen. Cùm aũt illud nomen, q̃d omnia alia antecellit, sit nomen Dei, reliquũ est, ꝙ Christo homini datum sit DEI nomẽ, ut homo ille uerus esset Deus, quem omnes aliæ creaturæ, siue cœlestes, siue terrestres, siue infernæ adorarent. Nunquid autem tum primum donatũ est ei hoc nomẽ, cum resurrexit â morte, & ascendit in cœlum uisibiliter? Nihil certè minus. Datum est enim ei, cum in utero uirginis è Spiritu sancto cõciperetur, & æternus filius Dei assumeret eum in eandem personam, ut sicut esset una persona cum filio Dei, ita etiam esset unus cum ipso Deus, & ornaretur omni forma ac maiestate Dei. Quid ergo est, quod Paulus hoc loco dicit eum postquam subijsset mortem crucis, in summã sublimitatem elatum esse, & assecutum nomen Dei? Illud est quod suprà diximus, phrasim loquendi esse, quòd tunc res dicatur fieri cum innotescit. Resurrectione autem à mortuis & ascensu in cœlum ac missione spiritus sancti innotuit in Ecclesia Dei, ac publicè patefactum est, quòd hic Iesus filius Mariæ non sit tantum homo, quales sunt alij homines, sed sit ab unigenito filio Dei, in utero matris in unam personam assumptus, & omni diuina maiestate ornatus. Interea autem temporis, dum perageret mysterium nostræ salutis, obtexerit eam humiliatione, ut etiamsi fuerit, tamen non apparuerit uerus Deus, seu uera Dei forma decoratus. Ac ædidit quidem in diebus humiliationis suæ multa, adeoq; tanta miracula, ut & mortuos excitaret, Sed ædi

derunt etiam miracula Prophetę ac Apoſtoli, & excitarunt mortuos, tamen non fuerunt à filio Dei in unam perſonam aſſumpti, ideoq; nullus eorū fuit uerus Deus. Solus autem Chriſtus homo in Maria à ſpiritu ſancto conceptus, & ex ea natus, aſſumptus fuit in unā perſonam ac in conſortium ac participationem uniuerſæ diuinæ maieſtatis. Solus igitur Chriſtus homo, uerus eſt Deus, quod tum maximè omnium innotuit, cum reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum, ac miſit ſpiritum ſanctū, & collegit Apoſtolica prædicatione ac magnis & multis miraculis, in nomine eius æditis, Eccleſiam ex uniuerſo orbe terrarum. Etſi enim nonnihil maieſtatis ſuæ oſtentauit in transfiguratione ſua coram tribus diſcipulis, & in præſentia Moyſi ac Eliæ, tamen maieſtas eius tum demum, quantum quidem ratio huius ſeculi ferre potuit, & ſaluti Eccleſiæ utile fuit, patefacta eſt, cum excitatus à mortuis miſit Apoſtolis nomine ſuo Spiritum ſanctum, & ornauit eos dono linguarum, & ædendorum omnis generis miraculorum.

Habes ueram ſententiam eius loci, quem de humiliatione & exaltatione Chriſti, ex Paulo, recitauimus, ex quo etiam ſumenda eſt interpretatio omnium eorum, quæ uel in ſacris literis, uel ſcriptis Eccleſiaſticorum de perſona Chriſti uariè dicuntur. Primum enim, ut perſona Chriſti, & conditiones eius ſuo ordine explicentur & intelligantur, ſciamus quòd una tantum ſit diuina ab æterno eſſentia, ſed quæ conſtat tribus proprietatibus, per ſe ſubſiſtentibus, quas perſonas uocamus, et ſunt Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Deinde filius Dei, qui eſt ſecunda perſona, in una deitate, etſi implet cœlum & terram, ſicut Pater, & Spiritus

tus

tus ſanctus, ideoque implet etiam omnes homines, ſua præſentia, eſſentia & potentia, ac in primis Prophetas, & omnes pios homines, ſingulari quoque gratia, & admirandis donis, tamen nullam aliam creaturam, nullum alium hominem, quantumuis ſanctum, ita implet, ut aſſumat eum in unam perſonam, & effundat in eum omnem deitatis ſuæ plenitudinem Corporaliter, præterquam ſolum ſemen Abrahæ, de quo ſemine dictum eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes terræ. Poſtquam enim uenit plenitudo temporis, emiſit Deus (ut Paulus loquitur) filium ſuum, qui aſſumpſit, ſeu ut Eccleſia canit, induit ſeruile corpus, non ex muliere cuiuſuis conditionis, ſed ex muliere uirgine, quæ iuxta promiſſiones diuinas, è familia Abrahæ & Dauidis propagata fuit. Hunc autem aſſumptum hominem Filius Dei ita ſibi uniuit, & tam arctè (ut ita dicam) complexus eſt, ut una eſſet cum ipſo perſona, itaque ſecum ueheretur ſupra omnem principatum & poteſtatem, ſupra omnes creaturas tam ſpirituales, quàm corporales, ſupra omnia loca & tempora, adeoque ſupra omne nomen, quod uel in hoc uel in futuro ſeculo nominatur, (quemadmodum ſupra copioſe explicatum eſt) ut non quidem eſſentia humanitatis mutaretur in eſſentiam deitatis. (Nam in hoc incarnationis myſterio, utraque eſſentia manet inuiolata & immutata) ſed ut homo uerè fieret & eſſet Deus (hoc eſt) omni deitatis maieſtate ornaretur. Habes nunc hominem, uerum Deum, ideoque immortalem, uiuificum, omnipotentem, omniſapientem, omnijuſtum, omnia implentem, omnia tam in cœlo, quàm in terra, coràm gubernantem. Et ſi quid huius maieſtatis illi homini ademeris, iam ademiſti ei plenitudinem

& gloriam

& gloriã deitatis, & negas eum uerum esse Deum. Sed quia ille homo, quem æternus filius Dei in suam ipsius personam assumpserat, ac uerum Deum fecerat, ad hoc destinatus fuit, ut arrogantiam, qua humanum genus in Adamo æqualitatem Dei, contra uocationem eius, affectauerat, expiaret, non debuit inter homines maiestatem suam arroganter ostentare, ne arrogantiam arrogantia cumularet, sed debuit quod contrarium est, humilitatem sectari, ut quod arrogantia peccatum erat, humilitate expiaretur. Quare etsi ab initio incarnationis collocatus est à filio Dei in summa deitatis sublimitate, tamen non uoluit eam contra uocationem usurpare. Quod ut adhuc apertius explicetur, distribuemus ea, quæ accidunt personæ Christi, in suum quæque gradum. Primus gradus est diuinæ maiestatis. In hoc gradu Christus homo, iam inde ab incarnatione semper constitit. Nũquam enim non fuit ab eo tempore uerus Deus, nunquam non fuit in summa deitatis sublimitate, quam & in perpetuum nunquam amittet. Secundus gradus est inanitionis seu humiliatiõis, in quo gradu in diebus carnis suæ, sicut Apostolus loquit, constitit usq; ad resurrectionem. Tertius gradus est œconomię seu dispensationis. Etsi enim tota uita Christi, qua inter homines in hoc mundo conuersatus est, potest dici œconõmia, tamen docendi gratia distinguimus in præsentia œconomiam ab humiliatione, & uocamus œconomiam, qua Christus post resurrectionem, ac etiam post ascensum suum in cœlum, apparuit in uno certo loco, & apparebit in nouissimo die. Consideremus igitur huius doctrinę usum. Christus homo conceptus est de spiritu sancto, in utero uniustãtum uirginis Marię, & circũscriptus est ab eo utero usq; ad ordinarium nascendi tẽpus.

Nec

Nec hoc factum est in ulla aliarum uirginum, siue uicinarum, siue longè absentium. Rectè & uerè. Erat enim tempus exinanitionis & humiliationis eius, nec dum maiestatem suam manifestauerat. Christus homo natus inuolutus est fascijs, & reclinatus in præsepi. Itaque non fuit tunc in alio loco, quàm in præsepi, si inanitionem & humiliationem eius respexeris. Si autem consideraueris maiestatem eius, ad quam tunc euectus erat, non potuit in præsepi teneri, quin impleret uniuersum orbem. Ecclesia rectè & piè canit: Paruo lacte pastus est. Ecce inanitionem & humiliationem. Et sequitur: Per quem nec ales esurit. Ecce gloriam & maiestatem. Ignorauit diem & horã extremi iudicij exinanitione, sed omnia tam præsentia, quàm futura fuerunt in conspectu eius, maiestate. Cùm Lazarus mortuus esset dixit Christus ad discipulos: Gaudeo propter uos ut credatis, quòd non fuerim ibi. Rectè Nõ fuit ibi iuxta inanitionem & humiliationem & iuxta externum habitum. Et tamen iuxta maiestatem suam, non solum aderat morienti, unde & ipsum esse mortuum discipulis adnunciabat, uerum etiam aderat omnibus mortuis ut conseruaret eos ad futuram resurrectionem. Ingressurus asina in Hierusalem, erat in Bethania, non in castello, exinanitõe. Et tamẽ aderat in castello maiestate. Videbat enim coràm quid de asina & pullo ageret: audiebat etiam iam tum, quid dicturi essent domini eorum. Sicut & antea uiderat absens, Nathanaelem sub ficu. Fateor. Viderunt etiam Prophetæ absentia, ut Elizeus seruum suum currentem post Nahemanum, & insidias Syrorum. Sed quod hi uiderunt singulari spiritus dono, eoq; non perpetuo, hoc Christus uidit naturali sua & propria maiestate, qua iam inde ab incarnatione, à filio Dei ornatus erat. Pẽde-

bat Christus in cruce exinanitione, et humiliatione, qui maiestate obscurabat solem, cõcutiebat terram, disrumpebat uelum templi, & scindebat saxa. Esuriebat & sitiebat humiliatione, qui maiestate pascebat, non solũ quinque millia in deserto, uerumetiã oues & boues uniuersos, insuper & pecora campi, uolucres cœli & pisces maris. Metuebat mortem humiliatione, qui omnia uiuificabat maiestate. Capiebaẽ ab hostibus exinanitione. Et tamen maiestate sua nõ solum restituebat omnibus in toto orbe terrarum ægrotis sanitatem, qui quidem periodum uitæ suæ nondum perambulauerant. Moriebaẽ in cruce, iuxta humiliationem, Et tamẽ conseruabat in uita, omnes uiuentes, iuxta maiestatem. Iacebat in sepulchro mortuus, exinanitiõe: Gubernabat uiuus cœlũ & terram, maiestate. Atq; hęc quidem tempore humiliationis ante resurrectionem, quæ si uidentur humanæ rationi minimẽ consentanea, cogita nec illud ei conuenire, q; homo sit Deus. & Deus sit homo, Et aliud sit, Esse humiliatum, aliud, Esse in diuinã maiestatem exaltatum. Videamus nunc tempus post resurrectionẽ Christi, in quo locum habet œconomia, seu dispensatio. Vocant aũt dispensationẽ cùm aliquid de ordinario iure relaxatur. Ordinarium aũt ius Christi, est Maiestas diuinitatis eius, ad quam in incarnatiõe est euectus, & quæ in resurrectione aliquo modo declarata est. Oeconomia igitur est, cum Christus aliquid agit, aut apparet, non pro sua maiestate, sed pro nostro captu, & ad nostram utilitatẽ. Cùm Christus resurrexisset à mortuis, & quęreret à mulierculis in sepulchro, dixit angelus, surrexit, Non est hic. Verè dictum, non aũt iuxta maiestatẽ, sed iuxta œconomiam. Non erat in sepulchro mortuus, qualem mulierculæ quærebant. Non erat in sepulchro iuxta exter-

num

num aſpectum. Erat aũt non in ſepulchro tantũm, uerũ etiam in cœlo & in terra iuxta diuinitatis ſuæ maieſtatẽ. Voco autẽ in prẽſentia (ſicut & ſuis locis ſuprà) diuinitatem Chriſti, non eam, quam filius Dei in ſe ab æterno habuit, ſed quam tempore incarnationis filio hominis communicauit, ſeu, ut Auguſtini uerbo utar, participauit. Alia enim eſt diuinitas communicans ſeu participans, alia communicata ſeu participata, ſicut alius eſt donator, aliud donum ipſum. Chriſtus igitur iuxta participatam carni ſuæ diuinitatẽ implebat cœlum & terram, qui tamen iuxta œconomiam, non erat amplius in ſepulchro. Chriſtus apparuit Mariæ Magdalenæ hortulanus, duobus diſcipulis euntibus ad Emaus peregrinus, Thomæ & reliquis diſcipulis notatus cicatricibus, in manibus, latere, & pedibus, & aliâs alia forma & habitu. Quid? Num talis ſemper eſt in regno Patris ſui, in quod reſurrectione ſua intrauerat, ſeu ſe intraſſe teſtificatus erat? Nihil minus. Apparet talis, iuxta œconomiã, qui iuxta maieſtatem ſuam, nullo humano oculo erat comprehenſibilis. Idcirco latus (inquit Cyrillus) & manus clauis perforatas oſtendit, ut illud corpus, quod cruci fuit affixum, ſurrexiſſe monſtraret. Ex diſpenſatione igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non in DEBITA Corporis ſui GLORIA, ſed in prima figura cernebatur, ne aliud corpus, quàm quod de uirgine aſſumpſit, reſurrexiſſe putares, quàm quod crucifixum & mortuum fuit. Nos comedimus, inquit Petrus, & bibimus unà cum illo, poſteaq̃ reſurrexit à mortuis. Quid ergo? Edit ne ac bibit Chriſtus, iam immortalitate illuſtris? Edit ac bibit, ex œconomia, qui ex maieſtate ſua omnibus præbebat cibum ac potum. Deambulabat ad mare, & quærebat à ſeptem diſcipulis obſonium.

Hæc erat œconomia. Interea inducebat multos & magnos pisces in rete discipulorum, & conseruabat rete ne scinderetur, & parabat in littore carbones ac pisces admirabiliter, Hæc erat maiestas. Hîc uenit mihi in mentem eius loci, quem ex Hieronymo recitaueram, quo ille respondet Marcellę interroganti: Vtrum post resurrectionem, quadraginta diebus, Dominus cum discipulis conuersatus sit & nunquàm alibi fuerit, & latẽter ad cœlum ascenderit, atq; descẽderit, & nihilominus Apostolis suam præsentiam non negarit? Quàm mirifice autem torquet se Martyr, ut uel Hieronymũ ab impostura excuset, uel scriptum eius, quo manifestè docet, Christum uno eodemque tempore fuisse. & cum Apostolis quadraginta diebus, & cũ Angelis, & in Patre, & in extremis maris finibus in omnibus locis uersari: Cũ Thoma in India, cum Petro Romæ &c. ad diuinitatem tantum inflectat. Hic certè si Hieronymus non ridet Marcellam de præsentia humanitatis interrogantem, sed rectà ad quæstionem Marcellæ respondet, necesse habet ea scripturæ dicta, quæ de præsentia Dei in omnibus regionibus recitat, intelligere non de diuinitate tantum, sed de tota persona Christi, quæ & diuinitate & humanitate constat. Si enim diuinitas filij Dei, quę humanitatem in eandem personam assumpsit, & in æqualitatem suæ maiestatis euexit, cœlum & terram implet, necessario sequitur, humanitatem quoq; ea implere, non quidem œconomia, sed maiestate. Huc pertinet quoq; alter locus Hieronymi, in quo ille apertè scribit, Agnum (hoc est) Christũ humanitate sua esse ubiq;. Et Ambrosius: Licet (inquiens) ubiq; sis, & stans in medio nostrûm, non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quo uniuersa caro te aspiciat reuertentem, &c.

Hæc

Hæc ueterum dicta recitaueram, ut oſtenderem, ne Patres quidem, cum loquuntur de maieſtate humanitatis Chriſti, negare, quin Chriſtus impleat omnia & ſit ubiq;. Quid autē Cingliani? Faſcinati ſunt ſuo ſomnio de cœlo Empyreo, in quo Chriſtus nunc ſedeat, nunc ſtet, nunc ambulet, & de cōditione corporis, quod non poſsit eſſe uerum corpus niſi loco circumſcribatur. Primum igitur omnium ſicut trahunt & torquent perſpicua uerba Cœnæ: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, cōfictis gloſsis ad ſua ſomnia, ita & Patrū aperta dicta inflectere, quoquo modo poſſunt, ad ſuum inſtitutum ſtudent. Deinde exclamant: neq; ſacram ſcripturā neq; ueteres Scriptores à parte noſtra ſtare. Quid ergo facias cum eiuſmodi hominibus? Si recitaueris teſtimonium Scripturæ, deprauant. Si adduxeris teſtimonium Eccleſiaſticorum ſcriptorum, aut negant eorum autoritatem, aut peruertunt eorum ſententiam. Sed de Eccleſiaſticis ſcriptoribus fortaſsis aliâs, loco oportuniori. Nunc in inſtituto pergemus. Tractamus enim de œconomia Chriſti poſt reſurrectionem eius à mortuis. Apparuit.n. in Galilæa pluſquàm quingentis fratribus, & poſtea collocutus in Iudæa cum diſcipulis, ſublatus eſt in altum, & ſubductus per nubem ab oculis eorum. Hęc eſt œconomia. Non enim ſentiendum eſt, quòd Chriſtus ea forma, qua uiſibiliter aſcēdit uſq; ad nubes, uerſetur in cœlo empyreo, in quo ſtet, ſedeat, aut ambulet, idq; phyſico modo. Sed eſt in cœleſti regno ea maieſtate, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitat. Poſt miſſum Apoſtolis Spiritum ſanctum apparuit Stephano ſtans â dextris Dei. Nunquid ea erat forma, qua tūc ſemper in regno cœleſti uerſabatur? Nihil certè minus. Sed erat œconomia, qua Chriſtus

stus sese captui Stephani eatenus accommodabat, quatenus ad consolationem in extremis periculis sufficiebat. Si autem de maiestate eius sermo fuerit, non sic in uno loco stabat, sed implebat cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Apparuit Paulo in uia, cum iret ad Damascum. Nec apparuit tantum, uerumetiam collocutus est cum ipso. Ego (inquiens) sum Iesus, quem tu persequeris. Nec hac tantum uice apparuit ei, uerumetiam aliâs sæpenumero. Additur enim: Ad hoc apparui tibi, ut cõstituam te ministrum, ac testem, & eorum quæ uidisti, & eorum, in quibus APPAREBO TIBI, &c. Nunquid ergo hac forma, qua apparuit Paulo, uersatur physico modo in regno suo cœlesti? Hæc certè forma nõ erat plena eius maiestas, sed erat œconomia, qua patefaciebat se Paulo, quantum præsens negocium exigebat. Nec somniandum est, quòd Christus deambulauerit in cœlo Empyreo, & interea miserit suo nomine Angelum, qui cum Paulo colloqueretur. Paulus enim probat hoc argumento, ueritatem resurrectionis Christi. Postremò, inquiens, uisus est & mihi. Quòd si angelus non Christus ipse coràm prẽsens uisus & collocutus fuisset Paulo, non constaret argumentum. In extremo die iterum apparebit in nube, quemadmodum discipuli uiderunt eum abeuntem, iudicaturus uiuos & mortuos. Hæc est œconomia. Etsi enim apparebit tunc, tam pijs, quàm impijs in aliqua maiestate, ea tamẽ non erit illa, qua perpetuò in cœlesti regno dominabitur, & qua erit omnia in omnibus. Huc nunc Patrum dicta conferãtur. Sufficit autem in præsentia unus Augustinus pro omnibus. Quantæ enim molis esset in singula eorum, quos Cingliani recitant, dicta, singulos scribere commentarios? Augustinus igitur ait: Erat Christus secun-

dum

dum uisibilem carnem in terra, secundum inuisibilem maiestatem in cœlo & in terra. Accipio hoc & similia Patrum dicta, si secundum ea quæ suprà perspicuis testimonijs sacræ Scripturæ, de humiliatione, exaltatione, & œconomia Christi explicuimus, intelligantur. Christus erat (inquit Augustinus) in terra iuxta uisibilem carnem. Rectissimè. Etsi enim Christus ea erat forma, ea maiestate, iam inde ab initio incarnationis, ut potuisset nec humanis oculis uideri, nec humanis manibus palpari, quippe, qui à filio Dei in unitatem personæ assumptus, implebat cœlum & terram, tamen inaniuit, humiliauit & demisit sese, ut & uideretur & palparetur, adeoque loco circumscriberetur. Erat igitur in terra secundum uisibilem carnem, secundum maiestatem autem inuisibilem erat in cœlo & in terra. Et quæ fuit illa inuisibilis maiestas? Num ea, quam habuit Filius Dei ab æterno, etiam priusquam filium hominis in unitatem personæ suæ assumpsisset, & extulisset? Rectè. Sed num ea maiestas, non fuit, in incarnatione, filio hominis assumpto, communicata, & participata? Certè, nisi negaueris filium Dei & filium hominis unam esse personam, unum filium Dei, unum filium hominis, unum Christum, unum hominem, unum Deum, adeoque uerum Deum, necesse habes affirmare, eam filij Dei formam, eam maiestatem, filio hominis communicatam esse. Paulò antè enim clarè ostendimus, eum quam uis substantia finitum, fuisse infinitæ huius maiestatis, uoluntate Dei, capacem factum. Quare, cum dicitur uel ab Augustino, uel ab alijs Patribus, CHRISTVM esse tam in cœlo, quàm in terra, secundum inuisibilem maiestatem, non est intelligendum de diuiso, sed de toto Christo, non de ea tantum maiestate,

quam

quam habet deitas ab æterno, sed de ea quoq; quam accepit humanitas, in incarnatione, ut quod deitas habuit ab æterno beneficio suæ naturæ aut essentiæ, hoc acceperit humanitas beneficio gratiæ, quam uocat unionẽ seu assumptionẽ. Ad eundem modum, cum post ascensum Christi in cœlum, dicitur corpus Christi esse in uno tantum loco cœli, maiestatem autem eius diffusam esse in cœlo & in terra, Siquidem intelligitur corpus Christi secundum œconomiam, quoties apparet, apparere tantum in uno cœli loco, cùm tamen interim, maiestate sua, in qua à filio Dei assumptum est, impleat uniuersum orbem, rectè & piè dicitur. Quòd si autem Patres ipsi, uel ueteres, uel recentiores, aut aliter sensisse uidentur, aut à Cinglianis aliter sensisse coguntur, & torquẽtur, ipsorum nõ Ecclesię periculo fiat. Nos quidem Patrum dicta reuerenter excipimus, & ea magna animi promptitudine iuxta analogiam fidei explicamus. Sed si Cingliani pertrahunt eos uel inuitos, uel etiam uolentes in impia sua castra, dolemus quidem ex animo, non tamen uisum est nobis, propter obscurè aut inconsideratè dicta Patrum, odiosum certamen in Ecclesia ciere, & ueritatem oraculis Spiritus sancti in scriptis Prophe ticis & Apostolicis traditã, deserere. Et alia est patrum, alia Cinglianorum ratio. Iudicamus Patres, ea fuisse & pietate & modestia, ut si quid carnali imaginatione preoccupati, senserunt aut scripserunt, quod cum analogia fidei non omnino conueniat, admoniti libenter mutassent. Cingliani autem quamuis sæpe multis scriptis admoniti, tamen usq; adeo non resipiscunt, ut multo peruicatiores aduersus doctrinam uerè piam fiant. Quare quod in Patribus ueniam meretur, id in Cinglianis excusari non poterit. Sed hactenus de capacitate finitę substantiæ

ſtantiæ in Chriſto, & de humiliatione ac exaltatione & maieſtate eius ſatis dictum uidetur. Nũc ad alia quoq;, quę Cingliani nobis obtrudunt, explicanda trãſeamus. Dicunt, nulla ui, nec humana, nec diuina fieri poſſe, ut corpus manẽs uerum corpus, uel nõ ſit in loco circumſcriptum, ut fiat ſpiritus, uel extendatur localiter in plura, aut omnia loca. Anteq̃ autem dicamus de ratione omnipotentiæ Dei, refutanda eſt inſignis iniuria Cinglianorum, qua nos publicè traducunt, perinde ac ſi in hypoſtatica filij Dei & filij hominis uniõe mutaremus carnem in ſpiritum, & coextenderemus eam localiter, unà cum ſpiritu in omnia loca. Sexcenties repetunt & inculcant in ſuis ſcriptis, carnem non eſſe coextendendam cum diuinitate. Quo innuunt, nos hanc abſurditatem docere, q̃ cùm dicimus humanitatem Chriſti, maieſtate ſua, in quam à filio Dei euecta eſt, omnia implere, ſentiamus eam corporali & craſſo modo in omnia loca extendi, aut cum diuinitate coextendi. Hoc figmento ſperant ſuos, qui noſtra aut nõ legunt, aut ſi legunt, non expendunt, & abominantur tantam abſurditatem, in errore teneri poſſe. Sed Deo ultori uindictã committamus. Nobis enim ne per ſomnium unq̃ in mentem uenit, q̃ in incarnatione Chriſti, caro uel mutetur in ſpiritum, uel coextendatur corporali, & ut ita dicam, quantitatiuo modo, cum diuinitate. Neq; enim diuinitatẽ ipſam, quæ eſt res ſimpliciſsima, & ubicũq; eſt, ibi tota eſt, extẽdimus iuxta carnalem humanæ rationis imaginationem, in plura aut omnia loca, ſicut alicubi ſuprà meminimus. Quomodo igitur, ſicut & ſuprà dictum eſt, coextenderemus cum ea carnem Chriſti? Sed dicimus, q̃ in incarnatione filius Dei extulerit carnem, ſeu hominem aſſumptum in oẽm ſublimitatem, ut quemadmodum

ipse antea impleuerit omnia cœlesti, & nobis incomprehensibili modo, ita nunc homo ab ipso in unitatem personæ assumptus, & in cœlesti maiestate collocatus, omnia impleat, non crasso, mundano, & physico, sed eo modo, quem oculus non uidit, auris nõ audiuit, nec in cor hominis ascendit. Si Cingliani hunc modum nõ intelligunt, mirum non est. Mirum esset si intelligerẽt. Proponitur enim nobis, non carnali ratione intelligendus, sed spirituali fide credendus. Et quia fides est ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, recitauimus suprà copiosè, è scriptis Propheticis & Apostolicis, uerbum Dei, quo Spiritus sanctus docet, Christo homini omnia esse subiecta, omnẽ ei potestatem in cœlo & terra traditam, exaltatum eum esse supra omnem principatum, supra omnem locum, supra omnes cœlos, adeoque supra omne nomen, siue in hoc siue in futuro seculo, ut omnia impleret. Si ergo Cingliani non possunt alium impletionis modum, præter crassum, corporalem, & localem comprehendere, qui nos sumus, qui tenebras eorum tam crassas depellere possemus? Et hîc iterum uide mihi modestiam Martyris. Statui docendi gratia, triplicem ubiquitatem, Localem, Repletiuam, & Personalẽ. Ibi uerecundus scilicet uir, etsi habet, quod mecum expostularet, quia inducam uoces peregrinas, à sacris literis alienas, & à Patribus non usurpatas, tamen quia dico me docendi gratia sic loqui, uult mihi parcere, & id non exagitare. Sed quas, quæso, induco ego uoces à sacris literis alienas & à Patribus non usurpatas? Vox ubiquitatis, uestrum est figmentum, & è uestra Schola profectum, quod cùm ego tanquam portentosum abominarer, tu belle admodum excusas, portentoso, inquiens, dogmati, portentosum uocabulum imponendum

ponendum fuisse. Sic isti hominum agmina portento-
sum dogma est, Christum elatum esse in summam
sublimitatem, & super omne nomen, ut omnia imple-
ret. Deinde quid nomine loci, à quo deducitur uocabu
lum (localis) frequentius est tam in Sacris literis, quàm
in Patrum scriptis? Adhæc, cùm nonnulli dixerunt, De
um esse ubique repletiuè, manifestè sumptum est ex il-
lo Hieremiæ loco, Cœlum & terram ego repleo. Sic e-
nim aliquot exemplaria legunt. Postremò, ex quibus
scripturæ locis nomen personæ sumptum uideatur, &
tribus proprietatibus per se in una deitate subsistenti-
bus, ac etiam Christo Deo & homini attributum sit, su-
prà ostendimus. Quæ est ergo illa Martyris ignoran-
tia, quòd uociferetur, me induxisse uoces à Sacris literis
alienas, & à Patribus minimè usurpatas? Hinc uides,
optimè Lector, quæ sit fides Martyri etiam in similibus
habenda. Deinde admiratur, quòd duo genera ubi-
quitatis posuerim, personaliter, & repletiuè, cum alte-
rum ab altero nil distare uideatur. Nonne satis, inquit,
fuisset dicere, ubiquitas repletiua est, quæ homini Chri
sto propter unitatem cum diuina persona tribuitur? Vi-
des insignem reprehendendi libidinem in Martyre.
Non est obscurum, quòd uaria sint genera diuisio-
num, inter quæ, si ullum habuisset candorem, hanc spe-
ciem inuenisset. Deinde obseruauit ipse, me hanc diuisi-
onem docendi gratia statuisse. Potuissem enim, ut re-
ctè monet, & uel tandem aliquid sani dicit, duas has
species, Repletiuam & Personalem, sub una Repleti-
ua comprehendere, Sed quia est tamen aliquod in-
ter eas discrimen, & aliam quoque habui causam,
non omnino contemnendam, malui duas species,
quàm unam constituere. Non enim ignotum est mihi,

quanto calumniandi ſtudio teneantur Cingliani, & q̃ facilè bene dicta in peruerſum ſenſum torqueant. Metu igitur calumniæ (ut ingenuè dicam, quod res eſt) poſui duas ſpecies: alteram, qua ſola diuinitas, qualis fuit ante incarnationem Chriſti, alterã, qua humanitas unà cum diuinitate, qualis eſt poſt incarnationem, comprehenderetur, ne ſi unam tantum Repletiuam ſpeciem poſuiſſem, exclamarent, me ex diuinitate & humanitate, unam facere naturam ſeu eſſentiam. Sed accidit mihi, iuxta prouerbium, ut qui uolui uitare Charybdim, incide rem in Scyllam. Quid ergo tutum eſſe poteſt à morſibus ſycophantarum? Et ne non ubiuis oſtentet Martyr inſignem ſuam ſcilicet eruditionem & induſtriam, reuocat nos etiam ad Donatum, & docet, ubique eſſe aduerbium loci. Hinc reprehendit nos, quòd ab hoc aduerbio loci abiungamus localitatem, præſertim cum de corpore fuerit ſermo. Vides igit̃ hunc craſſum Theologum, non poſſe, ne diuina quidem omnipotẽtia, in corpore aliam, niſi localem, iuxta Ariſtotelis dogmata, exiſtentiam inuenire & intueri. Sed uideamus quid illud ſit, quod dicunt, nulla potentia fieri poſſe, ut corpus ſalua ſubſtantia eius, non ſit in loco. Conſtituamus igitur initiò ueram rationem eius loci, de quo in corporum mentione ſermo eſt. Non enim loquimur nunc de loco μεταφορικῶς, cum transfert̃ ad res ſpirituales. Dubium enim non eſt, quin Deus, qui eſt ſpiritus, fuerit ante conditum mundum, ab æterno. Vbi ergo fuit? Nondũ erat locus creatus. Nõ igitur erat Deus in loco. Non eſt corpus, Non igitur erat in loco localiter aut corporaliter. Et tamen quia non erat nihil, alicubi fuerit, neceſſe eſt. Sunt & angeli ſpiritus, ſed creati, & ut multi pij ſentiunt, creati ſunt ante mundum conditum. Cum igitur

poſt

poſt creationem non fuerint nihil, et nõdum erat locus, ubi ipſi tum erant? Reſponderi poteſt, apud Deum. Recte. Sed ubi tũ erat Deus? Apud ſemetipſum. Et hoc recte. Hinc ergo ſequitur, q; ſoleamus dicere, Deum tum ſibi ipſi fuiſſe locũ. Quis aũt tam ſtupidus eſſet, qui audito nomine loci, in hac de Deo locutione, intelligeret extẽſam quandam corporis contĩnẽtis ſuperficiem, & non potius uideret hoc nomen è ſua propria ſignificatione aliò translatum? Diuina, n. illa, propriis & appoſitis uerbis, exprimi à nobis non poſſunt. Trãslaticijs utendum eſt. Neq; n. uel Deo uel angelis, talis locus, qualis corporibus, ſuis in hoc mundo terminis circumſcriptus, cõpetit. Quare cũ in præſentia loquimur de corporibus, non eſt nobis ſermo de loco metaphoricè ſumpto, ſed de loco propriè dicto, qui ſit corporis cõtinentis ſuperficies.

Cum igit̃ Martyr, & q eum præcedunt Cingliani, & qui ſequunt̃, docere conantur, corpus humanum non poſſe nõ eſſe in loco, & niſi fuerit in loco, non eſſe amplius uerum corpus, nomen loci intelligendum eſt de loco propriè dicto, quẽadmodum Martyr ipſe diſertis uerbis affirmat. Humanũ (inquiens) corpus quale quale fuerit, & cuicunq; uolueritis naturæ unitũ, idq; unitate qua libuerit, nõ poteſt uerè implere locum niſi localiter. Et aliâs: Cum de loco (inquit) agimus, & illum humanæ Chriſti naturæ cõparamus, non poſſumus, nec debemus à geometrico ſpacio, cogitatiões reuocare. Ac eò temeritatis & impietatis progreditur, ut ſentiat ne diuina quidẽ potentia fieri poſſe, ut corpus humanum, manente incolumi ſubſtantia eius, ſit abſq; loco localiter, aut ſit in pluribus aut omnibus locis. Vnde, quæſo te, Cingliani tam eximiam ſapientiam hauſerunt? Quid uerò tu ſolicitè inquiris? An non Martyr palãm teſtatur, ſe nõ poſſe cogitatio-

Fol. 3. Fol. 22. Bullingerus fol. 15. Fol. 56. Fol. 59. Fol. 4. 5. & 6

gitationes, cùm locus cõparatur humanæ naturæ, à geometrico ſpacio auertere? Et his adſcribit ſe etiam philoſophus philoſophorum Ariſtoteles, cuius irrefragabile dogma eſt, Omne corpus eſt in loco. Non enim exiſtimes Ariſtotelem hoc ſcripſiſſe è ſomnio ſui capitis, ſed è Spiritu ſancto. Verum enim, (inquit Martyr, de hoc Ariſtotelis axiomate loquens) à quocunq; dictum fuerit, ut à Spiritu ſancto prolatũ amplectimur. Et niſi mox relegaret Ariſtotelem ad ſpiritum prophanum: Vbidem (inquiens) philoſophus deceptus eſt, & pugnantia cum pietate docuit, illi minimè omnium ſuffragamur, &c. Et iterum: Extra cœlum (inquit) nullum eſſe corpus (id quod Ariſtoteles docuit) in uniuerſum non aſſentimur &c. profectò teneri non potuiſſem, quin crederem eum collocaſſe Ariſtotelem inter diuos in cœlo Bullingeri, inter quos Patriarcha ipſorum collocauit Herculẽ, Numam Pompilium, & alios quoſdam ſanctos ſcilicet heroas Ethnicorum. Habemus igitur huius ſapientiæ, de corporibus neceſſario in loco exiſtentibus, autorem non eum Spiritum ſanctum, qui datus fuit Prophetis et Apoſtolis, ſed illum, qui datus eſt humanis cogitationibus Martyris, & ante eum ſummo ingenio Ariſtotelis. Sed quis ex ueteribus Patribus (quod Martyr admodum inſolenter expoſcit) ſecus aut dixerit aut ſcripſerit, ſuprà nonnihil non ſolum ex Hieronymo & Auguſtino, uerumetiam ex Prophetis & Apoſtolis, qui ſunt Patres Eccleſiæ, illis longè uetuſtiores, & autoritate longè excellentiores, demonſtratum eſt, & ſuo loco iterum, uolente Deo, demonſtrabitur. Nunc proſequamur inſtitutum. Adimunt omnipotentiæ Dei, quòd non poſſit conſeruare corpus humanum, ſalua ſubſtantia eius, abſque loco. Ingrediamur ergo priùs cum hoc dogma-

te in Scholam Dialecticorum, postea in Scholam Spiritus sancti. In illa enim docentur etiam pueri, aliud esse substantiam seu corpus, aliud inhærens, seu accidens corpori. Et quæ sunt inhærentia, posse citra subiecti corruptionem (ut ipsi loquuntur) adesse & abesse. In ea autem Schola extra controuersiam est, quòd, Esse in loco, non sit de ratione corporis. Locus enim (inquiunt) non ingreditur in corporis definitionem. Cùm igitur publico huius Scholæ consensu, Esse in loco, possit corpori adesse & abesse, citra eius corruptionem, quæ est illa Martyris & suorum sectariorum temeritas, quòd audeant, ne omnipotentiæ quidem Dei concedere, quod Dialecticorum schola ultrò concedit? Et ut uideas hos homines seipsos temeritate uincere, affirmant alicubi se de præsentia corporis Christi in Cœna, à nostra sententia ita abhorrere, ut si alterutrum esset eligendum, malle se Papistarum, quàm nostram sententiam sequi. Quid obsecro, à sobrijs hominibus magis alienum? Papistæ sentiunt in Eucharistia accidentia subsistere sine subiecto. Nos sentimus, quòd subiectum seu corpus possit subsistere, etiamsi nō sit in loco, propterea quòd Esse in loco, non sit in ratione corporis, sed accidens eius. Vtrum igitur tolerabilius est, & rationi magis consentaneum? An non, corporis esse, ut illi loquuntur, est per se subsistere, Accidentis autem esse, est inesse? Tu uerò mauis credere, Albedinem & magnitudinem posse esse absque corpore, quàm corpus posse esse absque loco. An non hoc est manifestum emotæ mentis argumentum? His igitur hominibus opus esset Elleboro, si qua ratione fieri posset, ut ad sanitatem mentis redirent. Sed quia sumunt sibi, pro sua autoritate, ex Aristotelica schola ius probandi

&

& damnandi quę libet: & fortaſsis illud quoq;, quod de inhærentium natura expoſuimus, abiſcient, agedum, ingrediamur in ſcholam Spiritus ſancti, ut in ea ueritatem huius rei cognoſcamus. Etſi enim Cinglianis, hac in re, parum aut nihil eſt negocij in hac ſchola, quippe quibus id ſtudij eſt, ut initiò ſuam de rebus ſpiritualibus ſententiam ex Ariſtotelis axiomatis petant, deinde ad eam dicta ſacræ ſcripturæ torqueant, tamen Eccleſiæ fidei Dei gratificandum eſt, ut cum uſq; ad rauim ferè uoci ferentur, nos de corpore Chriſti ſequi nouum, abſurdũ, peregrinum, & falſum dogma, quod pugnet tam cum ſacris literis, q̃ cum docta uetuſtate, iniuria eorum manifeſtè cognoſcatur. Reuocemus igitur in memoriam, quæ ſuprà ex Paulo de maieſtate Chriſti recitauimus. Vocent ſanè homines illi, inſigni ſcilicet, ſermonis lepore, uenuſtate & eloquentia ornati, coccyſmum, ſi quando, quæ ad rei explicationem neceſſaria uiſa ſunt, ſuo loco repetuntur. Nos aũt non pudebit cœleſtem uocem, quam ſcimus Satanæ eſſe odioſiſsimam, in ore ſemper circumferre. Paulus igitur, ille nimirum, qui raptus eſt non in cœlum Cinglianorũ, in quo Chriſtus nunc ſtet, nunc ſedeat, nunc aut ad fallendum temporis tædium, aut ad captandã in tanta cœleſtis regni gubernandi mole, recreationẽ, aut ad inſpiciendas cœlitum manſiones (quæ enim aliæ eſſent in cœlo phyſicæ motionis, quam fingunt, cauſę?) in aprico campo deambulet: Sed raptus eſt, in Paradiſum, inq; illud cœlum, in quo Chriſtus in Maieſtate ſua ſedet ad dexteram Dei Patris ſui omnipotentis: Ille, inquam, Paulus, cùm de Maieſtate Chriſti, Totius, inquam, Chriſti, non diuinitatis tantum, ſed & humanitatis eius, Eccleſiam erudiret, Deus (inquit) extulit illum, in ſummam ſublimitatem, ac donauit illi

illi nomen, q̃d est supra omne nomẽ, ut in nomine Iesu, omne genu se flectat, cœlestiũ ac terrestriũ & inferor̃. Et iter̃: Deus sedere fecit eum ad dextrã suam in cœlestibus, supra oẽm principatum ac potestatẽ, et uirtutẽ & dominium, & OMNE NOMEN, quod noïatur, non solũ IN SECVLO HOC, uerumetiã in FVTVRO. Et oïa subiecit sub pedes eius, &c. Hîc nunc uideamus, ubi sit Christus cũ suo corpore, illo, inquã, corpore, quo expiauit, p nobis in ligno peccata nostra. Ecce igit̃ tibi, inuenimus illum elatum, nõ tantum super omnem terram, uerumetiã super omnes cœlos. Et necdũ satis. Elatus. n. est super OMNE NOMEN, super omnia quæcunq; nominari possunt, siue in hoc siue in futuro seculo, & inter creaturas tam terrestres, q̃ cœlestes. Inter nomina aũt continetur & locus, quemadmodum supra indicauimus: cõtinetur etiam (quamuis uano nomine) cœlum Empyreum. Quare nihil aliud reliquũ est, q̃ quòd Christus cũ corpore suo non solum nõ concludat̃, uel ullo alio loco, uel locali illo, quod Cingliani fingunt, empyreo cœlo, uerumetiã penetrauerit, et euaserit oïa loca, siue supera, siue infera, siue terrena, siue cœlestia. Quò ergo peruenit? Quò? Nisi ad Deum Patrem suum, illũ uidelicet beatum, & solum principem, regem regnantiũ, & Dominum dominantiũ, qui solus habet immortalitatẽ, lucem habitans inaccessam, Quem nemo hominũ uidit, neq; uidere potest. Vbi ergo ille Pater est, et ubi habitat? Lucem (inquit) habitãs inaccessam. Cui aũt est inaccessa? Num Christo? Absit. Filius Dei, qui est in sinu Patris, & assumpsit filium hominis in eandem personã inseparabiliter, cui etiam donauit Deus Pater nomen super omne nomen, toties testatus est, se ex hoc mundo ire ad Deum suũ & Patrẽ suum. Et aliâs dicit: Oïa mihi

tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit filiũ nisi Pater. Neq; patrẽ quisq; nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Manifestè igit̃ significat, se solũ in hanc lucẽ omnib. alijs (nisi quibus ipse patefacere uelit) inaccessam intrasse. Quæ est ergo illa Cinglianor̃ temeritas, q; audeãt palã iactare, Christũ in cœlo illo suo stare, sedere & deambulare, idq; localiter? Ecquando, obsecro, accesserũt lucẽ illã inaccessam, ut uidissent Christũ localiter stãtẽ, sedentẽ aut deambulantẽ? Aut quãdo hoc est ipsis à Christo patefactũ? Respondent: Christus similis nobis per omnia factus est. Et transfigurabit corpus nostr̃ humile, ut cõforme reddat corpori suo glorioso. Cum igit̃ nostra corpora nõ sint, nisi in certo loco, fieri nõ potest, quin et corpus Christi, q̃d & nostris corporib. simile est, & cui nostra corpora in resurrectione cõformia erunt, nõ sit nisi in certo loco, &c. Equidẽ agnosco uerba Apostolica, nõ aũt agnosco sequelã eor̃, quã non ex Apostolicis, sed Aristotelicis scriptis sumpserunt. Christus. n. assumpsit corpus, nostro per oĩa, absq; peccato, simile, humiliatione, quẽadmodum suprà ex Apostolo, nõ ex Aristotele, demõstrauimus. Deinde aliud est, corpora esse in hoc mũdo, in q̃ sunt aĩalia, aliud in regno cœlesti, in q̃ sunt spũalia. Denicq; in glorificatione, nostra corpora erunt corpori Christi cõformia, sed ita, ut tñ ipse maneat caput & habeat nomẽ super omne nomen, nos aũt mẽbra, & q̃d membris cõpetit aceepturi. Sed pergamus in instituto. Diximus Christũ cũ corpore suo accessisse ad Deũ Patrẽ, qui lucẽ habitat inaccessã. Vbi est ergo Deus Pater? Vbi est lux illa inaccessa? Hic iterũ non est ingrediendũ in scholam Aristotelis, in qua omne corpus est in loco, sed in scholã spiritus sancti, in qua Christus accessit ad patrẽ suũ. Pater aũt ibi est, ubi se esse suis ipse

uerbis

uerbis testatur. Cœlũ, inquit, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorũ. Et cœlum & terrã ego impleo. Reliquum igit̃ est, ꝙ et Christus filius Dei unà cum corpore suo eò accesit, ut cœlum sit sedes eius, & terra scabellum pedum suorũ, ac impleat sua maiestate cœlum & terram. Sed hoc, inquiunt, pugnat cum natura humani corporis. Quid hoc ad me? Pugnat, fateor, apud Aristotelẽ, Non autẽ pugnat apud Apostolos, non pugnat apud Deum Patrẽ Dñi nostri Iesu Christi, qui cùm iusserit suum filium cum corpore suo sedere ad dextrã suã, & habere nomen supra omne nomẽ, iam id eius est natura. Quod.n. Deus iubet, id rei natura est. Manifestum igitur est, ꝙ etsi corpus humanum non potest esse, uel sine loco, uel in omnib. locis simul, in schola philosophorum huius mundi, tñ id in corpore Christi nõ solum potest esse, sed etiam reuera est in schola spiritus sancti. Cæterum, cum dico corpus humanum posse, citra substantię corruptionẽ, sine loco esse, non intelligo corpus nusquam, aut nõ amplius esse, sed ita uerè esse, ut tamen nõ stet, non sedeat, non moueatur, aut ambulet localiter. Ostendi.n. supra, loci nomen posse esse trãslaticium, ut proprie quidem significet superficiem corporis continẽtis, circumscribentem uidelicet corpus cõtentum, certis ac finitis limitibus, transferri autẽ queat ad receptacula rerum spiritualiũ, quę etsi nõ sunt in loco proprie dicto: Non.n. continentur corporea quadam superficie, tamẽ quia cum loquimur de rebus spiritualibus & cœlestib. desint nobis apta & congruentia uocabula, mutuanda sunt à rebus corporalib. ideoq; cum dicimus illas esse in suo loco, non intelligimus eas esse in loco, locali modo, hoc est, nõ contineri superficie corporis continentis, sed uerè in rerum naturã, suo autem & ipsis conuenięti mo

do, quẽ nulla humana ratio cõprehendere poteſt, exiſtere. Sic angeli, ſic Deus ipſe, ſunt in loco, & nõ ſunt in loco. In loco uidelicet, quia nõ ſunt nihil, ſed uerè exiſtunt in rerum natura. Et tamen nõ ſunt in loco, quia nõ circũſcribunt ulla cõtinentis corporis ſuperficie. Hęc cũ non obſcurè Bullingero in meo libello expoſuiſſem, tñ immanè, quãta animi impotentia & aliâs, cum Patrũ auctoritatẽ aſſerit, et hoc etiã loco, in me ferat. Hîc ego portenta & mõſtra uerborũ necto. Hîc Aſyſtata ſcribo. Hîc nulla gratia recito alicubi fabulã de ouib. & aluearib. Et id genus alia, ſed, ut à poſtremo incipiã, Si Bullingerus reprehendit meã dicendi phraſin, ſciat, me q̃q̃ elegãtiora, & uenuſtiora, q̃ ipſius ſunt ſcripta, legiſſe, & agnoſco ipſe meã dicendi ariditatẽ: ac ſiquidẽ alterutro carẽdum eſt, malo deſtitui dictionis uenuſtate, q̃ rerum ueritate. Si aũt loquit̃ de ea gratia, quã apud Cinglianos his ſcriptis aſſequar, ſciat, me quidẽ cupere, tantam apud ipſos gratiã inire, ut à me excitati errori ualedicerent. Si uerò nolint, potiorem mihi rationẽ ueritatis, q̃ ullorũ hominum eſſe habendã. Deinde, quod ſtatum rerum apud Deum & in futura cœleſti uita dixerim, unum eſſe perpetuum locum, imò nullum locum, admiratur Bullingerus portenta, & mõſtra uerborũ, & Aſyſtata, ac poſtulat explicationem. Admonet aũt me, ne talem afferam, qualis ſolet de corporali præſentia Chriſti in cœna à noſtris recitari. Sed quia & Chriſtus ipſe hac loquendi forma uſus eſt, Mea (inquiens) doctrina, non eſt mea, manifeſtum eſt, q̃ quam portentoſam dicendi phraſin mihi imputat, eam imputet etiã Chriſto. Et niſi eſſet affectu carnis ſuæ cæcatus, potuiſſet ipſe in meo ſcripto, adeoq̃ in eo ipſo loco, explicationem non obſcuram uidere, uidelicet, ſtatum rerum apũd Deum, & in futura cœleſti uita,

uitã, posse quidẽ dici κατα χρησικῶς locũ, nõn autem esse locũ spacijs circumscriptum, qũi contineat peculiares et circumscriptas mansiunculas, & habitacula, sed esse tale quid, quod nec humana ratione cogitari, nec humana lingua dici queat. Hic ergo habuisses, Bullingere, explicationẽ, si potuisses oculos aperire. Status.n. rerum cœlestiũ dicitur unus perpetuus locus, quia res spirituales & cœlestes non sunt nihil, sed in rerum natura uerè existunt. Nullus aũt dicitur earum locus, uidelicet corporalis, quia tali loco non circũscribuntur. Sic cum à nostris dicitur corpus Christi in cœna adesse & manducari corporaliter, & tñ nõ corporaliter, intelligitur alterũ, de ueritate prẽsentię corporis, alterum de corporali sensu, ut sit sentẽtia: Verum corpus Christi uerè prẽsens in cœna esse & manducari, non aũt sensibiliter, aut exterioribus hominum sensibus perceptibiliter. Hæc si putas tu sese mutuo interimere, elleboro tibi opus erit. Sed hæc, nec est sola, nec prima calumnia, qua Cingliani nostram doctrinam de cœna Domini oppugnant. His.n. artibus sicut maximè omniũ ualent, ita suam fabulam peragere studeant. Postremò sæpe mihi tam à Martyre, q̃ à Bullingero obtruditur, docta uetustas, & quidem aliquoties minaciter & atrociter: Mihi ne plus fidei adhibendum sit, q̃ eruditæ uetustati? Obijcitur & authoritas D. Philippi Melãthonis. Ac profectò amaũi Philippum, dum adhuc in hoc seculo superstes esset, ex animo, & nunc, post quam in Christo filio Dei quiescit, memoria eius mihi admodum iucũda est, & ago Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratias, quòd per eum multa & magna beneficia in Ecclesiam contulerit. Nec ignoro (quantum quidem homo hominis mentem cognoscere potest) quid iam ab initio reuelati Euãgelij, usq; ad extremam

penè ætatē suam, de cœna DOMINI senserit & scripserit, quódq; uestrum Cinglianū dogma ita detestatus sit, ut scriberet se malle mori, q̄ hoc affirmare, quod uos affirmatis, corpus Christi non posse, nisi in uno loco esse. Quare, si priorē sententiā scripturæ consentaneā mutauit, & alius factus est ad extremū, q̊d uos cōtenditis, doleo de amici casu, ut qui maximè, ex aīo. Deinde scimus Dn̄m Philippum, ut reliquis uirtutibus, sic modestia excelluisse, & exēplo Augustini sæpe contra aduersarios cōtendisse, nullius hoīs autoritatē certitudini scripturæ sacrę (quę immota est ueritatis regula) præferendā. Itaq; quod in oībus ille sequendū esse existimauit, id nos etiā, in hoc tam arduo negocio facientes, nullo modo, si adhuc uiueret, esset repræhensurus. Illud aūt uehementer miror, quòd tam odiose, mihi eruditæ (sicut loqui solēt) uetustatis autoritatē obtrudāt, & cū in hoc cōmuni loco de patrū autoritate uersant̄, non cogitent, quid à me cōtra possit dici. Equidē uetustatē, qua debeo reuerētia ueneror, & laboribus eius singulari animi gratitudine utor. Sed nihil dissimulo. si illi uetusti, quantumuis docti & eruditi Patres, adhuc in hoc seculo superstites essent, & mihi Apostolicis dictis sic munito, quēadmodū supra copiose cōmemoraui, tanta insolentia, quāta Martyr & Bullingerus, insultarent, nulla essem eis uerecūdia obstrictus, etiāsi responderem, quid ad me uestra petulantia? quid uestra procacitas? Nunquid in uestra uerba sum iuratus? Num in uestro nomine sum baptizatus? An nō audio spiritum sanctum in Paulo, Precio empti estis, nolite fieri serui hominum? Non ignoro, diuino beneficio, quatenus ualeant ueterum scripta. Sed autoritate eorum nobis, præsertim tanta Apostolicorum testimoniorum copia munitis, sic insultare, hoc demū nul-

lus

lus uerè pius probare nec potest, nec debet. Sequantur igitur Martyr & Bullingerus eruditam uetustatem, nos sequemur rudem uetustatẽ, illa longè antiquiorem. Sequantur doctos Philosophos, nos sequemur indoctos Apostolos. Sequant̃ eloquẽtes oratores, nos sequemur balbutientes piscatores & aulæorũ textores. Etsi. n. ueteres scriptores, nec oẽs sentiunt, quod præclari illi doctores, eos sentire iactãt, nec reliqui ita sentiunt, sicut illi dicta eorum torquent, age tñ, fingamus uerum esse, quod illi plenis ubiq; buccis, de sentẽtia ueterũ uociferant̃, qd faciamus? imò nullus nobis dubitandi locus relinquit̃, quid sit faciendũ. Erudita uetustas dicit, ut illi iactãt, corpus humanum nõ posse ueritatem corporis seruare, nisi sit in loco localiter. Rudis uetustas, illa antiquior, dicit corpus humanum Christi euectum esse super omne nomen, q̃d uel in hoc, uel in futuro seculo noïatur. Ex quo manifestum est, q̃ & super omnem locum sit euectum. Cui igitur accedemus? Erudita uetustas collocat carnẽ Christi, in certo & circũscripto loco cœli illius, quod postea uocatum est Empyreũ, & quod habet, ut Cingliani interpretant̃, certas mãsiones, & certa spacia, in quibus Christus & sancti eius corporali modo eant, redeant, sedeãt, & deambulẽt. Rudis aũt uetustas, q̃s Christus ipse uocat, paruulos, dat Christo oẽm potestatem in cœlo & in terra, & effert carnem eius in summã sublimitatẽ, ac collocat eam nõ solum super omnes cœlos, uerumetiã super omne nomen, quod uel in hoc, uel in futuro seculo, noïari potest, hoc est, super omnes cœlos non solum uisibiles, uerumetiã inuisibiles, si modo creaturæ nomẽ habuerint. Cui igitur uetustati, eruditæ ne an rudi assentiemur? Sed quid pluribus opus? Bullingerus ipse me, si alicubi autoritate manifesti uerbi Dei, à sententia

ueterum

ueterꝝ discessero, à temeritate liberat, Vt ultrò dẽ (inqui
Fol. 11. ens) uera esse simpliciter, quę proponit Brẽtius, neminẽ
ueterꝝ hęc de loco interpretari, an ideo nobis erit disce-
dẽdum ab aperta Christi doctrina, de sedibus beatis ita
perspicuè tradita, ut non possit dici uel fingi dilucidius?
Et mox: Quis prohibebit, q̃ minus inhæreã & ego mor-
dicus interpretationi nõ à me confictę, sed ipsismet Dñi
uerbis clarissimis, utcunq; citra controuersiã constet ne
minẽ ueterꝝ, uerba DOMINI sic fuisse interpretatũ? Si
hęc Bullingerus serio sentit, quid est ꝙ & ipse, & Mar-
tyr collega eius, testimonia uetustatis mihi tam insolen
ter obtrudũt? Sed quęso te, optime lector, considera hic
mihi, q̃ aptè, q̃ appositè Bullingerus testimonijs ueterꝝ,
ad stabilienda sua somnia utat̃. Recipit. n. se testimonio
Fol. 11. duorum ueterum, eorumq; non uulgarium, sed ex præ-
cipuis singularium, & alterius quidẽ è scriptoribus Græ
cis, alterius è Latinis probaturꝝ, ꝙ in hoc dicto Christi,
In domo Patris mei multæ sunt mansiones, noĩe mansi
onum significet̃ certus locus in cœlo. Cyrillus in Ioan-
nẽ, Apertè modò consolatur (inquit) discipulos Domi-
nus, in mansionibus Patris, in primogenitorum Eccle-
sia, cũ eo æternaliter uicturos affirmans. Multas. n. mãsi
ones ait in domo Patris esse, capacitatẽ cœli ostendens,
quæ tanta est, ut nulla egeat ad suscipiendos electos prę-
paratione. Hactenus Cyrillus. Subiungit autem Bullin
gerus. Qui (inquiens) capacitatem cœli dicit, an non is
locum manifestè intelligit? Quid? Hoccine est testi-
monio uetustatis probare, nomine mansionum intel-
ligendum esse, quòd in cœlo sint certa loca & habitacu-
la, in quibus Christus & electi eius physica motione e-
ant, redeant, sedeant, & deambulent? Hoc enim pro-
bandum in præsentia exigebatur. Cyrillus dicit, tantam
esse

esse capacitatem cœli, ut nulla egeat ad suscipiendos electos prę paratione. An ergo is, q̃ dicit capacitatẽ cœli, locũ manifestè intelligit? Loquimur aũt de loco physico, in q̃ itiones & reditiones fiãt locali & corporali modo. Q̃ si dixero, mentem hoĩs, etiam post hãc uitam, esse capacem diuinarum reuelationũ, aut angelos esse capaces diuinę illustrationis, aut Deum ipsum esse oĩs sapientiæ & potentię capacẽ, num propterea necessariò sequitur, intelligendum esse locum physicum, in q̃ fiant physicæ & locales deãbulationes? En, lic, pbant Cingliani sua figmẽta è docta uetustate. Nihilo aptius est, q̃d mox Bullingerus addit: Certè sub finem (inquiens) capitis apertũ locum adducit (Cyrillus) ex Apostolo ad Thessalonicenses, perhibẽtem reliquos in ultimo iudicio, unà cum excitatis ex mortuis, sursum in nubes rapiendos, in occursum Dñi in aëra, etc. ceu digito ostẽdens ubinam sit cœlum de quo loquitur. Et iterum, post illa Cyrilli uerba, Conformes erimus glorię suę cõregnabímusq; secum secundum scripturas, unaq; recumbemus cum eo in regno cœlorum, modo quem ipse scit: subiũgit Bullingerus, Ille, inquiẽs, quãuis modum, quo unà cum Christo recumbunt sancti in regno cœlorum, curiosius aut scrutari, aut explicare nõ uult. Dicit. n. (modo, quẽ ipse scit) attamen locum nihilominus esse cœlum, in quo recubituri sint cum Christo sancti, manifestissimè asserit. Audit. n. Brẽtius repeti uerbum Apostoli, rapiemur in nubibus obuiam Dño, in aëra. Audit mãsiones ostendi superiores, superiores, inquam, non inferiores, & locum, en locum, eundem cum Christo, audit operosiore nihil opus esse comprobatione, cum hæc perspicua, nimirum ab omnibus bene intellecta & cõfessa sit. Vbi ergo nunc est Brentij epinicium? etc. Amabo te, uidisti ne un-

quã hoïes Cinglianis magis temerarios? Primùm, si Cyrillus nõ uult curiosius scrutari aut explicare modũ, quo sancti cũ Christo in regno cœlorũ recumbunt, q̃ est ergo uestra illa audacia, q̃ nobis modũ describatis, uid elicet, corpus Christi esse in cœlo, nõ illo firmamento, in quo sunt stellę, sed in eo cœlo, q̃d uocãt Empyreum. Et in eo cœlo sic esse, ut nõ possit sua substãtia esse in cœna. Similiter esse in eo cœlo, physica locatiõe, (an nõ est hoc modum describere?) in q̃ localiter eat, redeat, stet, sedeat, & deãbulet? Deinde an non hic est magnus stupor, q̃ ubicunq; uel sacra scriptura, uel ueteres scriptores utunt uocabulo loci & mãsionum, in rebus cœlestibus, ibi statim exultes, & triumphũ agas, atq; definias, esse in regno cœlesti physica loca, physicas locatiões, physicas sessiones, physicas stationes, & physicas deambulationes? Hęc, n. est uestra sentẽtia, hæc docetis, & obtruditis nobis in uestris dialogis, & alijs libellis. Nos uerò, ut suprà dixi, agnoscimus quidem uerba sacræ scripturæ, & testimonia, in suo quęq; loco, uetũstatis, nõ agnoscimus aũt uestras sequelas, ac deprauationes. Num quia Christus dicit, Vado ad parandũ uobis locum, Et in domo Patris mei multæ sunt mansiones, & Ecclesiastici repetunt hæc dicta, idcirco in cœlesti regno sunt loca physica, & mansiones physicæ, in quibus, & è quibus beati de loco physico, in locum physicum, successione physica moueantur? Num quia Paulus dicit, Rapiemur in nubibus obuiam Domino in aëra, idcirco sancti erunt physica locatione in cœlo Empyreo, in quo localiter stent, sedeant, aut obambulent? certè, si urgeas τὸ ῥητὸν Pauli, sicut urgetur nomen loci, & mansionum, sancti non erunt in cœlo uestro Empyreo, sed in nubibus, & in aëre. Dicit enim Paulus, Rapiemur obuiam Domino, in quem

locum

locum? Non ait, in cœlum Empyreum, sed in nubibus, in aëra. Et addit, Sic semper erimus cum Domino. Quomodo sic? In nubibus uidelicet, & in aëre. An non hæc esset bella interpretatio, & iucundum phantasma? Nihilo sanius ex his Pauli uerbis argumentantur sanctos fore cum Christo in cœlo Empyreo, physica locatione, & locali cohabitatione ac deambulatione. Nõ dissimilia dici possunt de testimonio Augustini, qui cum & ipse recitet illud Christi, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et illud Psalmi, Beati qui habitant in domo tua, &c. Addit Bullingerus, Quid pro assertione mea, & contra Brentij sententiam potuisset uel fingi appositum magis? Sic ergo refutatus est Brentius. Dicite io pæan, & io bis dicite pæan. Incidit in casses præda petita meos. Sed quis esset huius scripti modus, si omnes id genus ineptias, imò sacræ Scripturæ, & ueterum scriptorum detorsiones persequi uellem? Reuertemur ergo eò, unde sumus digressi. Contendunt corpus humanum non posse, salua sua substantia, ne quidem diuina potentia, esse, nisi in loco localiter, ac nec in pluribus, nec in omnibus locis simul. Ac uideri uolunt omnia Patrum ac scriptorum genera à parte sua stare. Sunt autem duo Patrum genera, quod quidem ad præsens institutum sufficit. Alij enim sunt minorum, quos uocamus scholasticos: alij maiorum gentium, quos uocare solemus Ecclesiasticos. Non est autem obscurum, quæ fuerit scholasticorum sententia de cœna Domini, & de conditione corporis Christi in pane. Etsi enim somniarunt, quòd in cœna fiat panis transsubstantiatio, tamen nõ fuerũt omnino sine ullo uel ingenio, uel studio. Certè in cognoscendis humanæ philosophiæ mysterijs, & in scrutãda rerum natura maiorẽ operam collocarunt,

q̃ uel ipſis uel Eccleſiæ filij Dei, quam ſuis temporibus docuerunt, utile ac ſalutare fuit, propterea quòd philoſophiã cum Theologia pernicioſe cõmiſcuerint. Et tamẽ ſunt ſuę profeſsionis artifices, ac diligenter expenderũt, ne quid affirmarent, quod contradictionem, ut ipſi loquuntur, implicaret. Manifeſtum igitur eſt, quòd ſenſerint corpus Chriſti uerè et ſubſtantialiter præſens eſſe in cœna, idq; non localiter. Senſerint etiam unum & idem corpus Chriſti, cũ cœna celebratur, eſſe eodem tempore in diuerſis locis. Quanquam autem cõmuniter docent corpus Chriſti non eſſe in diuerſis locis localiter, tñ ſunt alij qui affirmant, quòd nec illud includat contradictionem, cum aſſeritur, idem corpus poſſe eſſe in diuerſis locis localiter. Nõ eſt mirum (inqt Hugo) ſi mirabilis mirabilia operatur. Quomodo (inquies) corpus unum poteſt eodem tempore in diuerſis locis eſſe? Noli mirari. Qui locum fecit, & locum in corpore, et corpus in loco, & q̃ fecit, ut corpus unũ in uno loco eſſet, fecit, ſicut uoluit, & ſi uoluiſſet aliter facere, potuiſſet. Nam & quãdo uult, aliter facit. Et poſtea: Cogita facientem, & deſinet eſſe mirabile, quicq̃d illud fuerit, & ſi forte eſſe mirabile nõ deſierit, tñ incredibile non erit, ſi factor omnipotens cogitatur, &c. Hoc autem ſumptum uidetur ex Auguſtino, cuius illud de miraculis dictum extat: Tota ratio facti, eſt potentia facientis. Et alius, Eſſe (inqt) in uno loco tãtum per finitam potentiã cõuenit corpori eo ipſo, quod limitatum eſt. Vnde ſicut nõ poteſt nõ eſſe limitatum, ita nõ poteſt ſimul eſſe in pluribus locis per uirtutẽ finitã. Sed ex hoc non ſequitur, quin hoc poſsit fieri per potentiã infinitam. Aciterum: Vnum totum, nõ poteſt ſimul eſſe in diuerſis locis, per uirtutem uidelicet creatam, &c. Tu quidem Cingliane, faſtidis horum authoritatem,

tatem, quam nec ego magni admodum facio. Sed cum de rerum natura, qd uiribus naturæ, qd oīpotentia Dei, absq; naturę destructiōe fieri possit, quæritur, & illi uno ferè ore affirmant, corpus humanum nō posse quidem in diuersis esse locis eodem tempore, potentia naturæ, posse aūt esse, potentia Dei, cui, obsecro, æquum censes, ut fidem adhibeamus? Num illis, in sua professione artificibus, & oīpotentiam Dei digna laude celebrantibus, an tibi heri nato, & temerè quod in buccam uenit uel affirmanti uel neganti, ac omnipotentiam Dei uellicāti? Dices autem: Etsi scholastici docuerunt corpus Christi esse in pluribus locis eodem tempore, tñ non concedūt esse ubiq;. In scripto de personali unione duaꝝ naturarū in Christo, ingenuè affirmaui, ne me quidem probare hanc locutionem. Humanitas Christi est ubiq;, si per uocabulum ubiq; intelligatur localis, crassa, mundana & Geometrica in omnia loca extensio. Si aūt ubiq; dicitur de Deo, aut de filio Dei, qui filium hominis in eandem & inseparabilem personam assumplit, ac significat cœlestem & humanæ rationi incōprehensibilem modum, quo Christus oīa implet, certè nō desunt nobis testimonia scholasticorum, quorum etiam aliquot recitaui, quibus nūc & illud Bonauenturæ addo, qui ait: Quod obiicitur per unionem homo est Deus, dicēdum, quòd hoc intelligatur per cōmunicationem Idiomatū Similiter &, Esse ubiq;, cōuenit per cōmunicationem Idiomatū. Sed quia Martyr scribit in horum dicta, pro suo more, cōmentarios, & conatur eos, quoquo modo potest, etiam inuitos in sua castra pertrahere, idcirco non libet nobis de ipsorum sententia rixari. Sufficit nobis, quòd Apostolica dicta, quæ suprà recitauimus à nostra parte tā perspicuè stent, ut si angelus de cœlo aliud nobis obtru-

deret,pro anathemate habendũ iudicaremus.In p̃sentia aũt illud manifestũ est,quòd scholastici sentiant, corpus Christi esse eodẽ tpe in pluribus locis, adeoq; oĩbus ijs, in quibus cœna peragitur,& tñ substantiam ueri corporis nõ amitti. Hoc si obtinuerimus, ut planè constat,nõ difficilè erit, corpus Christi ad oĩa loca, sed cœlesti modo,deferre. Non.n.obscurũ est, quòd in die Paschæ crebrior sit Dñicę cœnę usus,in toto orbe Christiano,& in singulis ecclesijs,iam inde à Patribus,nõ tm̃ minorum, uerumetiam maiorum gẽtium. Et quia usus obtinuit, ut dies festus Paschę à temporibus Nicæni concilij sit in uniuersa Ecclesia uno eodemq; tempore celebratus,facilè cõijci potest,corpus Christi non in uno tm̃ & altero loco,non apud unum tm̃ et alterũ hoĩem, sed in multis locorũ,in quibus cœna peracta est,myriadibus,& apud multas hoĩm, qui cœnam sumpserunt, myriadas,uerè præstò adfuisse,& uescentibus dispensatum esse.Si autẽ potuit,& adhuc potest, iuxta scholasticorum sententiã, in locis & hoĩbus innumeris esse, quę ratio prohiberet, quo minus etiam in oĩbus alijs locis uerè adesse,& tñ ueram suam substantiam retinere posset? In cõpendio em̃ Theologico, in quo doctrina scholasticorum breuiter cõmemoratur,recitat author rationem(quod etiã in priori scripto indicauimus)cur corpus Christi sit in plurib. locis totũ,sub diuersis,ut ipse loquitur, hostijs. Hoc(inquit)est propter unionem carnis ad uerbum. Rideãt sanè hoc Cingliani,& fastidiant.Nos uerò in pręsentia nõ hoc agimus,quanta sint autoritate scholastici scriptores in Ecclesia,& quo loco habenda sit doctrina eorum:sed illud agimus, quid de præsentia corporis Christi in cœna senserint,& quam sentẽtiæ suæ rationem sint secuti. Dixerunt aũt,Corpus Christi totum esse in pluribus locis,

De personali unione duarũ naturarũ in Christo.

cis, sub diuersis hostijs, ꝓpter unionẽ carnis ad uerbũ. Et addunt, Vnde meritò habet (corpus Christi) amplius, q̃ alia creatura, quòd in locis plurib. simul & semel possit esse. Hinc ergo manifestũ est, primùm, quòd scholastici apertè pugnent cum Cinglianoꝝ phantasmate, quo dicunt, ne Deum quidẽ ipsum posse efficere, ut corpus humanum, salua substantia eius, sit eodẽ tempore in pluribus locis. Deinde, quòd etsi scholastici affirmant corpus Christi nõ esse ubiq̃, tñ eã recitant causam, propter quã sit in pluribus locis: ut si expendas eam diligenter, necessariò sequatur, corpus Christi esse ubiq̃, non quidem, ut in omnibus locis, & panibus dispẽsetur, sed ut ubiq̃ uerè (cœlesti tamen modo) existat. Propter unionẽ, inquiunt, carnis ad uerbum. Cum igitur hæc unio sit inseparabilis, & ubicunq̃ est uerbum, ibi etiam secum habeat assumptã carnem, (quia uerbum caro factum est) nullus sana mẽte præditus negare potest, quin caro Christi sit, (eo quidem modo cuius hactenus sępenumero facta est mentio) propter personalem unionem ubiq̃. Et possem quidẽ causam recẽsere, cur scholastici abhorruerint ab hoc sermone, Corpus Christi est ubiq̃, quẽ nec nos sic nudè, & sine ulla pia, iuxta sententiã huius Articuli, (Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis) interpretatione prolatum, approbamus: quid aũt operęprecium fuerit, cum sententiam ipsorum, eò tãtum produxerimus, ut ostenderemus, quòd etsi fuerint in Aristotelica schola diligenter uersati, tamen cum senserint corpus Christi esse in pluribus locis, nõ ademerũt, nec corpori Christi ueram suam, in his locis, substantiam, nec Domino Deo nostro suam oĩpotentiã, quod Cinglĩani, utrumq̃ necessariò fieri cẽsent, si humanum corpus statuat eodẽ tempore in pluribus esse locis. Sed consideremus etiam

Patres

patres maiorꝝ gẽtium. Glorianť.n. Cingliani hos totos ab pſorꝝ partib. ſtare, & cũ nos noſtros, q teſtimonia patrũ de uera p̃ſentia corporis Chriſti in cœna collegerũt, in mediũ, producũt ipſi uiciſſim ſuos. Opus igit̃ eſt, ut in tota cauſa, ita & in hac parte eius, iudice. Ego quidem nõ dubito, qn uetus Eccleſia docuerit & crediderit uerã p̃ſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, in cœna: nõ libet aũt nũc, in hoc ſcripto certamen, q̃d à noſtris rectè eſſe explicatũ iudico, de hac re cum Cinglianis ſuſcipere. Illud tm̃ poſtulo, ſi Patres ſenſerunt, qꝓ corpus Chriſti nõ ſit tm̃ ſubſtantialiter in cœlo, uerumetiam in cœna, & in oĩbus ĩſs locis, in quibus cœna peragitur, negari certè nõ poteſt, quin & ſenſerint, ueram ſubſtantiã corporis manere inuiolatã, etiamſi fuerit eodẽ tempore in multis locis, & oĩpotentiam Dei nõ eſſe tam impotẽtem, qn poſsit ſua uirtute efficere, ut humanũ corpus, in multis ſimul locis exiſtens, ſeruet ſuam ſubſtantiã incolumem. Satis igit̃ ad huius rei explicationem erit, ſi cognoſcamus, qꝓ Patres maiorꝝ gentium ſenſerint (ut certè ſenſerunt, quicqd Cingliani dicant) corpus & ſanguinem Chriſti uerè in cœna adeſſe, & ad ueſcendum diſpẽſari. At.n. nõ propterea (inquient) euiciſti, qꝓ ſentiant corpus Chriſti eſſe ubiqꝫ? Recitaui quidẽ aliq̃t Ambroſij, Hieronymi, & Auguſtini teſtimonia, quę Cingliani, ꝓ ſuo more peruertunt, & in interpretatione eorum, apertè faciũt ex Chriſto duas perſonas. Sed ſit ſanè ita, quòd Patres non ſoleant hac locutione uti, ac alicubi non obſcurè eam abĩjcere uideantur, certiſsimum tm̃ eſt, quòd cum agnoſcũt hunc fidei noſtræ articulum de Chriſto, (ſedet ad dextram Dei Patris oĩpotentis) et intelligũt ueram eius ſententiã, iuxta interp̃tationẽ Apoſtoli Pauli, quã ſuprà copioſe cõmemorauimus, manifeſtũ ſit, eos

toties

toties affirmare, Christum, non diuinitate tantum, uerꝫ etiam humanitate sua omnia implere (eo uidelicet impletionis modo, qui maiestati eius competit) quoties recitãt hunc articulum de sessione Christi ad dextrã Dei, & de potestate data Christo in cœlo & in terra, eumq; exaltatum esse super omne nomen, quod nominatur nõ in hoc tantum seculo, sed etiam in futuro. Quare, etiam si uideantur in alijs quibusdam locis cum hac sententia pugnare, & cogitationibus carnis, aut dogmati Aristotelis, de corporibus & locis, indulgere, nihil dissimulamus, malumus sequi, quod iuxta Apostolica scripta sentire debent, quàm quod iuxta philosophica scripta sentiunt. Multa enim scribuntur à Patribus, sed credere omnia, uide ne non sit necesse. Et nos in eo loco uersamur, in quo maior ratio habenda est diuinæ ueritatis, quàm humanæ autoritatis. Quòd si rerum æstimatio sumenda est ab annis, antiquiores Ecclesiæ Patres sunt Apostoli, & inprimis Paulus cꝫ Augustinus & suarum gentium alij. Sed accedamus uel tandem ad omnipotẽtiam Dei, quam Martyr dimetiendam scilicet suscepit. Recitat enim ex Theodoreto non esse enunciandum indefinitè, omnia Deo possibilia. Est & aliâs Theodoretus multus in ore Cinglianorum. Ac ego quidem nihil deteram de laude eius, quam uel Leo, uel alij ei tribuunt: Et si quid uoce uel scriptis Ecclesiæ, suo tempore profuit commendatione dignum iudico, sed non est ea autoritate ut quæuis dicta eius agnoscamus pro oraculis spiritus sancti. Omitto reliqua. An non hoc dictum: Non esse enunciandum indefinitè, Omnia Deo possibilia, excidit ei non tantum incogitanter & temerè, uerumetiam periculosè, adderem etiam impiè, nisi ipse libenter dicta maiorum commodè & clementer interpretarer.

Et quia Martyri hoc Theodoreti dictum mirificè placet, idcirco haud iniuria particeps esse debet eius laudis, quam Theodoretus hoc suo dicto meretur. Quid enim uobis uultis? Dicitis, non esse indefinitè enunciandum, Omnia Deo Possibilia. Peccauit ergo Archãgelus, qui indefinitè & absolutè dixit: Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Peccauit & Christus ipse, quia apud Matthæum & Marcum indefinitè ait, Apud Deum omnia sunt possibilia. Quid? Ergo ne quia hoc absolutè enunciarunt, omnia quæ bona sunt & quæ contraria simul dixerunt? Ecce igitur uobis Theodoretum, & Martyrem nouos dicendi Magistros, qui & Archangelum & Christum ipsum sub ferulam trahant ac rectè & piè loqui doceant. Deinde affirmat Martyr, quædam esse, quę suo defectu seu uitio, nullo modo fieri possunt, incolumi & salua nihilominus diuina potestate. Et haud obscurè significat, se etiam illud (corpus humanum, non posse esse sine loco, nec in pluribus locis, nec in omnibus locis simul, salua substantia eius) inter ea numerare, quæ ne Deus quidem omnipotentia sua efficere queat, interim tamen lepidus homo uideri uult, se diuinæ potentiæ nihil adimere. Videamus ergo nonnulla eorum, quæ ne diuina quidem potentia possunt fieri, ut cognoscamus, num ad eum catalogum pertineat, quod de corporibus & locis dicitur. Quæ facta sunt (inquiunt) non possunt reddi infecta. Et Hieronymus: Audenter, inquit, loquar, cùm omnia possit Deus, suscitare non potest uirginem post ruinam. Item Deus non potest mori. Non potest peccare. Item. Fieri non potest, ut Pater sit filius, ut increatum sit creatum, ut infinitum sit finitum, ut triangulus, sit quadrãgulus, ut ternarius sit quaternarius. Ac breuiter, Nullo modo,

inquit,

inquit, fieri possunt, quæ rei naturæ ac definitioni repu- Fol. 9.
gnant. Hinc concludit, cũ corpus, inquiens, humanum oporteat ex natura & definitiõe sua finitum, circumscri ptum, ac delineatum esse, fieri non potest, ut plura loca simul occupet, uel ut sit ubiq;. Hæc est ænea illa & chaly bea Cinglianorum machina, qua prima quidem fron te, uera tantum præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna oppugnari uidetur, sed qua, si pressius intuea ris, Christus filius Dei de Throno suę maiestatis, quod in Cinglianis est, proturbatur. Negari quidem non po test, quin nonnulla sint, quæ fieri nõ queant. Neq; enim Deus potest cogi, uim pati, mori, et interire. Hoc autem posse, non est potentię, sed imbecillitatis. Si enim Deus hoc posset, non esset omnipotens, sed potius impotens. Neq; Deus eodem tẽporis puncto uult aliquid & non uult, probat aliquid, & improbat. Hoc esset incõstantię, non potentiæ, adeoq; quicquid Deus non potest uelle, non potest et ã agere. Neq; enim potest seipsum occide re, propterea ꝙ non possit quid accidere, ut id uelit. Sed illud in præsentia quæritur. Num quod de humano cor pore dicitur, Non posse uel sine loco, uel eodem tempo ris pũcto in diuersis locis aut ubiq; esse, ad hæc, quę iam recensuimus, genera pertineat? Multa. n. sunt, quæ una quidem ratione fieri non possunt, quæ tamen alia ratio ne non solũ possunt fieri, uerumetiã reipsa fiunt. Quæ fa cta sunt, infecta fieri nequeũt. Et tamen Magistratus in uenit rationem, qua contumelia illata fiat tanq̃ non illa ta, cum contumelia affectum suo restituit hon ori. Deus ipse inuenit rationẽ, qua peccatum factum, sit, tanq̃ non factum. Misit enim filium suum, qui peccatum ita expia uit, ut iam pro non facto reputetur. Peccati eorum (in quit) non memorabor amplius. Et quid? Num potest

aliquid uerè dici, coram Deo factum? Nihil minus. Apud Deum enim, ut nihil est futurum, ita nihil præteritum, sed omnia sunt ei præsentia. Quid igitur coram eo, de facto & infecto disputas? Hieronymus, Audenter, inquit, loquar, cum omnia possit Deus, suscitare non potest uirginem post ruinam. Nunc autem non quæritur, quid Hieronymus audenter, sed quid ueraciter loquatur. Scribit enim & ipse aliâs, in ecclesia quotidie fieri ex meretricibus uirgines. Nihil, non potest esse aliquid A nihilo enim ad aliquid interminabile est seu spacium, seu interuallum. Et tñ Deus tantę est industriæ & potentiæ, ut inuenerit rationem, qua ex nihilo fieret aliquid, adeoq; tãta moles, quantam coràm cernimus. Mortale non potest esse immortale. Et tamen Apostolus dicit: Cùm mortale hoc induerit immortalitatem. Vita non potest mori, Vita enim & mors, pugnant inter se, ut quę maximè, & tamen Ecclesia canit: Vita in ligno morítur. Deus non potest esse homo. Quæ enim proportio infiniti ad finitum? Et tamen inuenta est ratio, qua Deus esset homo. Vnum non potest esse tria, nec tria, unum, & tamen suus est modus in diuinitate inuentus, quo unum essent tria, & tria unum. Aristoteles ipse, è cuius fontibus Cingliani suam sapientiam ad oppugnandam maiestatem Christi hauriunt, recenset quatuor cõditiones elenchi, κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ, καὶ ὡσαύτως, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, quarum, si uel una defuerit, nõ est uera ἀντίφασις. Ac, ut maximè concedatur, quòd aliquo modo uerum sit, ea fieri non posse, quæ rei naturæ & definitioni repugnãt, interea tamen diuinæ omnipotentiæ, quæ omnem rerum naturam superat, nihil est addimendum. Nec illud negauerim, ea quę definitionem rei tollunt, tollere etiam definitum & rem ipsam. Hoc autem

autem intelligendum est, de essentiali (ut Scholæ loquũ tur) non de accidentali definitione. Nam si senseris, rem continuo tolli, cum accidens seu inhærens eius tollitur, obsecro te, quid non tantum in miraculis præter & contra naturam æditis, uerumetiã in ipsa rerum natura incolume ac inuiolatum reliquum erit? Descendamus igitur nunc ad conditionem humani corporis, ac præsertim eius corporis, quod à filio Dei in eandem personã est assumptum. Dicunt nullo modo, ne diuina quidem potentia fieri posse, ut humanum corpus sit uel sine loco, uel eodem tempore in pluribus aut omnibus locis. Nunquid autem locus ingreditur essentialem humani corporis definitionem? Nihil certè minus, quemadmodũ & suprà attigimus, & artifices ipsi docuerunt. Quod ergo de humano corpore cum locis collato dicitur, nõ pertinet ad catalogũ eorum, quæ nullo modo fieri possunt. Et quid? Num locus, à Deo creatus, tantarum esset uirium, ut posset creatori suo omnipotenti medium digitum ostendere & resistere, quo minus posset corpus uel absq; loco conseruare, uel in pluribus, atq; adeo omnibus locis, pro sua industria collocare? Nemo, credo, tam impudens est, qui neget Deum potuisse ante conditum mundum, ante conditum tempus & locum, creare uerum hominem, & eum in sua substantia conseruare. Quod igitur ante conditum mundum potuit, num à mundo condito amisit? Negari item non potest, quin Deus posset hunc uisibilem mundum annihilare. Quis ergo negaret, quòd si hoc faceret, non posset hominem mirabiliter absq; hoc mundo cõseruare? Imò sunt etiã, qui sentiunt Deum posse facere aliquod corpus quantum (ut ipsi loquuntur) extra hunc mundum. Ac profectò inuenit sibi Deus ab æterno habitaculum, in quo, ut

ita dicam, consisteret, priusq; hic mundus conderetur, & non potuisset homini, priusq; locus fieret, habitaculum inuenire, aut destructo loco, receptaculum excogitare. Habet rationem, qua uniuersam corpoream molem huius mundi conseruet absq; loco (extra enim superiorem mundani corporis superficiem, nec est physicum aliquod corpus, nec locus,) & non inueniret rationem, qua minutum hominis corpusculum, posset uel absque loco conseruare, uel in pluribus, adeoq; omnibus locis collocare? Nam, q̃ Martyr neget, Aristotelẽ, in uniuer-
Fol. 23. sum inficiari ultimũ cœlum esse in loco, suo more facit, quo solet tam ex Ecclesiasticis scriptoribus, q̃ ex philosophorũ placitis, pro suo arbitrio seligere, quæ uel probet, uel improbet. Nos autem in priori scripto ostendimus ex Mose, quòd Deus in creatione huius corporalis mundi collocauerit firmamentum, inter aquas inferiores & superiores, & quòd hæ superiores aquæ, non sint infinitum spacium, in quo Deus ante conditum mundum sit commoratus, & nunc angeli ac sancti commorentur, sed quia sunt pars huius corporalis mundi, sunt & ipsæ, substantia corporea & finita, qua hic corporalis mundus clauditur & definitur. Quare extra has aquas, nõ est aliud corpus, cuius superficies contineat molem uniuersi, & necessariò sequit, quòd hæc moles nullo loco uel ambiatur uel contineatur, sed sit in manu Dei omnipotentis, qui metitur, iuxta Esaiam, aquas pugillo, & cœlos palmo ponderat, quiq; appendit tribus digitis molem terræ, & librat in pondere montes, atq; colles in statera. Accedit huc, quòd si duo corpora fuerint simul in uno eodemque loco, necessarium erit, ut alterum eorum non sit in loco, ne physicis absurdissima fieri dicantur. Manifestum autem est, quòd cùm Christus penetraret

netraret in natiuitate sua per clausum Virginis uterum, in resurrectione sua per saxum monumenti, in apparitione coram discipulis per clausam ianuam, duo corpora fuerint simul, in uno eodemque loco. Quare & illud manifestum est, quòd corpus humanum possit esse sine loco. Negat quidem Martyr Christum penetrasse per clausum Virginis uterum, per saxum monumenti, & per clausas ianuas, & affert suas, nescio quas, coniecturas, & effugia, sed eo ipso negat autoritatem Augustini in hac causa, quem alias Cingliani in hac causa habent pro gnomone, negat uulgatam & uetustatis & nouitatis sententiam, negat etiam collegæ sui Bullingeri autoritatem, qui affirmat Christum per clausum Virginis uterum exijsse. Quare non suscipiam cum eo hac de re certamen, donec ipsi & cum ueterum, & cum suorum sententia conuenerint, præsertim cum & alia firma habeamus nostræ sententiæ fundamenta, quæ suprà sunt recitata, & Martyr iterum exemplum sui ingenij ædat, quo quæ in singulis autoribus sibi conuenientia uidentur excerpere, & ad suum phantasma torquere solet. Dicamus etiam de corpore in pluribus locis simul. Christus corpore suo commoratur in cœlo, eoque iuxta Cinglianos, empyreo, quod collocant supra firmamentum stellis insignitum, & uocant Regionem fœliciſsimam, nec deseret eum locum usque ad nouissimum huius seculi diem. In cuius rei testimonium solent illud Petri ex Actis Apostolicis adducere: Oportet Iesum accipere cœlum, usque in tempora restitutionis omnium. Eadem autem Apostolica Acta testificantur Christum apparuisse Paulo in his terris, & dixisse: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quem tu persequeris. Et iterum assistit Paulo nocte Hierosolymis,

Fol. 94.

In commentario super Lucã cap. 2.

Act. 22.

Act. 23.

Bono

Bono(inquiens)animo esto Paule, Vt enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. Tantum autē est locorum interuallum inter cœlum illud Empyreum & inter terram, quātum nulla humana geometria metiri potest. Necesse igitur habent Cingliani ipsi fateri (si modo in sua sententia constiterint) q̄ corpus Christi fuerit uno eodemq̄ tempore in diuersis locis. Ac dici quidem potest, quòd quæ Paulus uidit ac audiuit, facta sint per uisionem, aut per Angelum nomine Christi, non potest autem uerè dici, quòd Christus non fuerit tunc Paulo in terris p̄sens. Ex his enim uisionibus probat Paulus ad Corinthios scribens, ueritatem (sicut suprà ostendimus) resurrectionis Christi. Quod genus probationis nō consisteret, si Paulus Christum nō corā uerè uiuum uidisset. Et quid? An nō ea est Dei seu cōditio seu industria, ut ex mille annis faciat coram se, unum tantum non dico, annum, sed diem, imò nec diē, sed horæ minutum, aut si quid eo est minutius? In conspectu enim Dei omnia tempora sunt unum p̄sentissimum momentum. Quomodo igitur nō posset ex mille locis unum coram se locum facere ut etiāsi humanū corpus dicatur esse in mille locis, coram Deo tamen sit tantum in uno loco, aut potius in nullo, ut Bullingerus iterū habeat, quod calumnietur? Ac profectò mirandum esset, si Deus, qui non solum est simplicissimus, & ubicunq̄ est, ibi totus est, uerum etiam potētissimus, nō esset tantæ potentiæ & industriæ ut non inueniret rationē, qua posset corporalem creaturā, salua subst ātia eius, tam arcto uinculo sibi colligare, ut eam secum, ubicunq̄ esset, cōiunctam haberet. Sed hæc res optimè se habet. Inuenit enim rationem, qua adiūgeret sibi hominem tanta unione, ut efferret eum secum in summā sublimitatem,

ſublimitatē, & collocaret eum ſuper omnem principa-
tum tam terreſtrem, q̄ cœleſtem, & ſuper omne nomē,
quòd nominatur nō ſolum in hoc ſeculo, uerumetiam
in futuro. Hîc iterum uociferabuntur Cingliani, coccy-
ſmum. Sed his moribus produnt amarulentiam animi
ſui erga prædicationem maieſtatis Chriſti, qua uident,
(ſi modo uident) phantaſmata ſua explodi, ut etiamſi ali
quādiu poteſtate tenebrarum apud imperitos homines
obtinere uideantur, tamen neceſſe habeāt, uel tandem
euaneſcere. Quicquid enim concionētur de natura cor-
poris, in multis aut omnibus locis, certè cum filius ho
minis effertur ſuper omnes creaturas, & coniungitur
multò propinquius filio Dei, q̄ omnes cœleſtes & An-
gelici principatus, non poteſt aliud reliquum eſſe, q̄ꝫ q̄
ubicunq; fuerit filius Dei, ibi ſecum habeat filium homi
nis, ſemel in unitatē perſonæ aſſumptum, & nunq̄ abij-
ciendum. Reclamet ſanè humani cōrporis natura, recla
met uniuerſa ſchola philoſophica, Spiritus ſanctus ta-
men extollit filium hominis eò, ubicunq; eſt filius Dei.
At enim (inquiunt iterum) ueteres probauerunt ſpiritū
ſanctum eſſe uerum Deum, illo argumento, q̄ ſit ubiq;.
Quare, ſi dixeris hominem Chriſtum eſſe ubiq;, facies
ex creatura Deum. Quid? An homo Chriſtus nō eſt ue-
rus Deus? Ego uerò dixero hominem Chriſtum eſſe u-
biq;, nō q̄ ſit uerus homo, ſed q̄ iſte homo ſit uerus De-
us, quemadmodum hæc loquendi forma ſuprà eſt ex-
poſita. Veteres probauerunt etiam diuinitatem ſpiritus
ſancti, ex eo q̄ ſit uiuificator. An propterea negandum
eſt, quòd & caro Chriſti ſit uiuificatrix? Spiritus ſanctus
igitur idcirco eſt uiuificator, quòd ſit Spiritus ſanctus,
& uerus ab ęterno Deus. Caro aūt Chriſti non eſt idcir-
co uiuificatrix, quòd ſit caro, ſed quòd ſit caro à filio Dei

omnia uiuificante assumpta: sic & spiritus sanctus, idcir/co omnia implet, quòd sit spiritus sanctus, & uerus ab æterno Deus. Corpus autem Christi non idcirco omnia implet, quòd sit corpus, sed quòd sit corpus à filio Dei o/mnia implẽte assumptum. Atq; de his hactenus. Expo/sui enim quanta potui perspicuitate, & Apostolicis testi/moníjs, in quantam maiestatem filius hominis à filio Dei in unitatem personæ assumptus conscenderit, & q̃ latè pateat sessio eius ad dextram Dei Patris omnipotẽ/tis, nec dubito, quin hac expositione, uerę Ecclesię ita sa/tisfactum sit, ut cognoscat, non tantum Christum ue/rum Deum & uerum hominem omnia cœlesti modo implere, ideoq; uerè quoq; in cœna sua præsentem esse, sed etiam insignem temeritatem Cinglianorum, qui clamoribus suis orbem implent, & iactant, nec diuinas literas usq̃, nec Ecclesiasticos nec Scholasticos scripto/res docere, quòd Christus sua humanitate omnia imple at. Idem enim accidit Cinglianis, quod íjs, qui propter uisus debilitatem sibi conspicilia imponunt. His enim omnia, quæ uidẽt, eum colorem oculis offerunt, quem conspicilium, quo utũtur, habet. Si fuerit conspicilium rubeum, omnia apparent rubea, si uiride, omnia appa/rent uiridia. Ita Cingliani, postq; imposuerunt sibi con/spiciliũ ab Aristotele mutuatum: ἅπαν σῶμα ἐν τόπῳ, o/mne corpus est in loco. Et iterꝝ. ἀνάγκη δὲ ἀεὶ κίνησιν ἔχειν πᾶν σῶμα φυσικόν. Omne naturale corpus motionem habeat, necesse est: quicquid per illud intuentur, & ubi/cunq; uel in sacris literis, uel in Patribus audierint aut le gerint nomen corporis aut cœli, ibi somniant locum, e/umque circumscriptũ, in q̃ eatur, stetur, & physica mo/tione deambuleť. Ac intantũ non possunt oculos men/tis suæ à phantasmatis Geometricorum spacioꝝ auerte

re,

re, ut etiamsi habeamus clarissima Spiritus sancti testimonia, quòd quæ sunt spiritualis & futuri seculi, non queant humana ratione comprehendi, tamen odiose exprobrare nobis solent, quòd dicamus ea geri ineffabili, & incomprehensibili modo. Quare finamus eos sua (siquidem ita omnino ipsis libet) insania frui. Nos autem, diuina clementia adiuti, pergamus in proposito, & dicamus etiam de cœlo, in quo Christus sedet ad dexteram Dei Patris sui, & ad quod omnes uerè pij toto mentis desiderio cogitant. Etsi enim ea sufficerent, quæ antea in expositione sessionis Christi ad dextram Dei Patris commemorauimus, tamen quia Cingliani somniant de cœlo mirifica, imò non mirifica, sed potius puerilia, ac planè humana, ne dicam Thalmudica ac Mahumetica, & malunt nouum & ficticium cœlum, in quo Christum cum corpore suo collocent, architectari, quàm ueram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna agnoscere, & admoniti, tantum abest ut à phantasmate suo resipiscant, ut non sine summa Dei & hominum contumelia defendere conentur, idcirco operæ precium uidetur, rationem cœli, quod habitaculum Dei dicitur, paulò copiosius, quantum quidem ad præsens institutum sufficit, iuxta Prophetica & Apostolica scripta explicare. Vt autem pius lector cognoscat, quid hac in re probandum, quid refutandum suscipiamus, recitabimus primum omnium quale cœlum Cingliani nobis obtrudant. Cœlum (inquiunt) est LOCVS certus, non in hisce terris, sed distinctus à terris, ac lõgissimè ab eis remotus, distinctus etiam ab ipsis cœlis aspectabilibus & inferioribus, non ubiq;, sed constitutus supra nubes, & supra mundum hunc corruptibilem, imò supra oẽs cœlos, in excelsis, domus patris, habitatio se-

Martyr, fol. 56.59.73.74. 80.83.

Bullingerus fo.8. 10. 15.22.25. 29. 37. Et in libello de mãsionibus fo.40. pa.2.

desq; Christi ac electorum eius beata, diuina, æterna, immensa, splẽdida, spiritualis, corporea, habens spacia eaq; latissima, in quibus localiter itur, sedetur, statur, & ambulatur, atq; haud scio, num etiã ibi iaceatur. Hoc enim non inuenio additum. Habes Cingliani cœli definitionem, aut si mauis, architectationem. Nihil finxi. Verba ipsa hæc è scriptis eorũ collegi, ut haberemus integram Cingliani cœli structuram. Belligerãdum igitur erit nobis, non cum uero cœlo, in quo Christus sedet ad dexterã Dei Patris sui, & ad quod omnes pij aspirant, sed cum cœlo Cingliano, in quo certis spacijs & locis sedetur, statur, & deambulatur. Quas igitur machinas admouebimus, ut id demoliamur? Non certè opus est, ut oculos diu circumferamus, & eas sollicitè inquiramus. Aedificatũ.n. est, non super petram cœlestis ueritatis, sed super arenã terrenę imaginationis. Ac initio non erimus nos, qui dimicabimus, sed tantummodo confidenter stabimus, & uidebimus auxiliũ DOMINI super nos, ac erimus ociosi spectatores. Omne regnũ (inquit Christus) in se diuisum, desolabitur. Sicut ergo quondam cum Iosaphat rex Iudę egrederetur contra exercitum Moabitarum, & Ammonitarum, DOMINVS ipse tam mirabiliter adiuuit Regem Iosaphatũ, ut ocioso ipso Rege spectatore, hostes eius, in semetipsos uersi, mutuis concide rent uulneribus: ita & structura Cingliani cœli, si eam secum ipsam committamus, sua mole ruet. Dicunt.n. hoc suum cœlum esse certum locum, in quo stetur, sedeatur & ambuletur. Interim aũt affirmant, eum locum esse domum Dei Patris, spiritualem. Nunquid ergo Deus Pater stat, sedet, & ambulat in ea domo, localiter, quemadmodum homines & iumenta in terra, pisces in mari, & uolucres in aẽre ambulare solent? Et cum sit domus spi

ritualis,

ritualis, nũquid est stationibus, sessionibus, & deambulationibus corporalibus apta & idonea? Et quia ibi cohabitare dicunt homines & angeli, nunquid homines incedunt in ea pedibus, Angeli aũt uolant alis? Deinde, hoc cœlum non tantum dicitur esse sedes spiritualis, sed etiam corporalis. Quomodo igit conuenit, quòd simul sit & corporalis & spiritualis? nisi fortè, quia corpus nostrum in resurrectione erit corpus spirituale, idcirco etiam cœlum illud Cinglianum erit & spirituale & corporale. Sed Paulus cum dicit, Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, loquitur tantum de humano corpore, nõ item de corporeo aliquo cœlo. Et prius firmis rationibus probandum esset, num existeret in rerum natura tale cœleste corpus, quod constitũtum esset supra mundum hũnc corruptibilẽ, & supra omnes cœlos in excelsis, & quod in sua spacia & locã distinctum, esset spirituale. Quod cum nondum sit probatũm, imò potius cum scriptura sacra pugnet, quemadmodũ aliâs demonstratũm est, & mox apertius demonstrabitur, ingens est Cinglianorũ confidentia, quòd audeãt figmentum tam malè consutum in Ecclesiam inuehere, aut ab aliis excogitatum approbare & propugnare. Accedit & illud, quòd affirment hoc suum cœlum esse corporeũ, & tamen immẽsum. Quid? Est ne aliquod corpus immensum? An non sentiunt, quòd corpora exũant proprietatem corporum, si reddantur immensa? Quòd si aũt ulli corpori tribuunt immensitatem, cur nõ potius eam tribũunt corpori Christi, quòd est ab immenso filio Dei in inseparabilem personæ unitatem assumptum? Vides igitur, optime mi Lector, Cinglianos in extructione cœli sui uertiginem pati, & hinc inde fluctuare, ut non uideant, qua consistãt. Nec mirum. Omnia enim sunt dubia

Martyr fol. 83. Bullingerus fol. 15.

& incerta, cũ à uerbo Dei diſceſſum eſt. Valeat ergo Cinglianum cœlum, quod eſt ex Ariſtotele, apud quem omne corpus eſt in loco, extructum. Nos aũt petamus ex uerbo Dei, quid ſit de cœlo ſentiẽdum. Non. n. dubium eſt, quin Moſes ſpiritu ſancto illuſtratus, deſcribat in 1. cap. Gene. creationem & conditionem huius externi & corporalis mundi: In principio (inquiens) creauit Deus cœlum & terrã. Et cum Deus cœlum digereret, Fiat (dixit) firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Itaq; fecit Deus firmamentum, diuiſitq; aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erãt ſupra firmamentum. Ex his manifeſtum eſt, q; hic externus & corporalis mundus conſtet duabus præcipuè partibus, cœlo uidelicet & terra. Cœlum aũt conſtet tribus partibus, Firmamento uidelicet, quod eſt ſtellis illuſtre, & aquis inferioribus, ac ſuperioribus. Et quia ſuperiores aquæ, ſunt & ipſæ, ſubſtãtia corporea, non ſunt infinitum ſpacium, ſed finitum, quo hic corporalis mũdus clauditur, & ut ita dicam, circumſcribit. Ac ne quis cogitet in deſcriptione corporalis mũdi aliquid omiſſum, addit Moſes, Perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus ſeu exercitus eorũm. Compleuitq; Deus die ſeptimo opus ſuũ, quod fecerat & requieuit die ſeptimo, &c. Nihil hic agitur de ſpirituali mundo, quem futurum ſeculum uocamus, & de quo alia ſcripturæ teſtimonia extant. In præſentia autem tractatur tantum de corporali mundo, quẽ unà cũ omni ſuo exercitu Deus ſex diebus ita perfecit, ut ſeptimo die requieſceret. Hic corporalis mundus abſoluitur, ut diximus, cœlo & terra. Cœlum autem abſoluitur firmamento, aquis inferioribus, & aquis ſuperioribus. Vbi ergo inueniemus cœlum illud Cinglianum? Omnino enim reponunt ipſum inter genera corporũ,

&

& definiunt esse corpoream sedem seu regionem. Non inuenimus ipsum in aquis, firmamẽto inferioribus. Dicunt.n. locũ eius esse ultra hunc corruptibilẽ mundum. Nec inuenimus ipsum in firmamento, quippe quòd negẽt, contra aliorꝝ sententiã, corpus Christi sideribus esse illatum, & illic cõmorari. Nec inueniemus in aquis superioribus. Dicunt.n. quòd constitutũ sit nõ tantum supra corruptibilẽ hunc mundum, cuius pars sunt superiores aquę, sed etiã supra omnes cœlos in excelsis. Et tñ sentiunt esse corporale & suis spacijs ac locis distinctum. Reliquum igit̃ est, quòd aut habeant aliũ Deum, q̃ hoc ipsorum cœlum sit architectatus, aut habeant alium corporalẽ mundum, in quo illud cœlum sit collocatũ. Manifestum.n. est, quòd nec sit in hoc corporali mundo constitutum, nec sit à Dño Deo nostro in cõditione huius corporalis mũdi creatũ. Hęc uertigo dignum est supplicio, quo affici merent̃ hi, q̃ malũt ex Aristotele corpori Christi in altero seculo certũ & corporalẽ locum assignare, q̃ ex uerbo Christi uerã corporis & sanguinis eius prędentiam in cœna, & in hoc seculo credere. Quid ergo dicendũ? aut qd de cœlo sentiendum? Certum.n. est, quòd sit Deus, quòd sint angeli, quòd Abrahã, Isaac, & Iacob, & oẽs pij ex hac uita excedẽtes, corã Deo uiuant, quòd Elias raptus sit ex hoc seculo, quòd Christus resurrexerit à mortuis, quòd ascenderit uersus hoc externũ & uisibile cœlũ, quòd multi cũ ipso resurrexerint. Vbi ergo sunt? ubi cõmorantur? Num cõcludes eos intra firmamentũ aut intra hoc spaciũ, q̃d est à superioríb. aquis, usq; ad aquas inferiores? Hic iam de habitaculo Dei, angelorꝝ, & beatorꝝ hoim non est cogitandum iuxta Aristotelis axiomata, sed iuxta spiritus sancti oracula. Dicamus igitur primum de habitaculo Dei. Nihil aũt in præsentia di-

Martyr fol. 47.

cam

cam de eo habitaculo, in quo Deus fuerit ante mũdum conditum, de quo suprà nonnihil dictũ est. Ante mundum.n. conditũ non habuit Deus aliud habitaculum q̃ seipsum, quod nec hactenus deseruit, sed dicã de habitaculo eius in hoc mundo. Dubium aũt non est, quin scriptura tribuat Deo, pro suo throno & habitaculo cœlum illud externũ & corporale, quod nobis est ob oculos positũ. Qui habitat, inquit Psalmus, in cœlis, irridebit eos. Et iterꝝ: Deus in cœlo sedes eius. Ac rursus: DOMInus in cœlo parauit sedem suã. Et aliâs: Quicunq; orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, de cœlis, & propicia re. Et apud Esaiam: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorꝝ. Ac aliâs: Non iuretis per cœlũ, quia thronus Dei est. Quid multis opus? Omnia scripta tam Prophetica, q̃ Apostolica collocant Deum in eo cœlo, tãquam in suo proprio habitaculo, quod paulò antè ex Mose descriptum est. Sed quid? Num Deus in huius cœli habitaculo ita includit, ut non etiam alibi uel habitet, uel commoret? Nihil minus. Ne.n. tam carnales de habitatione Dei cogitationes suscipiamus, prohibent alia sacrę scripturæ loca, quę maiestatẽ throni eius exponũt. Excelsior (inquit Sophar apud Iobem) cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Lõgior terra mensura eius, & latior mari. Si autem tanta est maiestas Dei, quomodo contineretur cœlo tanquam habitaculo, latissimo quidem illo, si ad humanam Geometriam conferas, angustiori uerò, q̃ ut illam Dei immensitatem circumscriberet? Et Salomõ: Si cœlum, inquit, & cœli cœlorum non te capiunt, quanto minus domus ista, quam ædificaui? Et in Psalmo: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades, &c. Ac rursus in Esaia: Deus ponderat cœlos palmo.

In

In Hieremia: Implet cœlum & terram. Quomodo igitur cœlũ, talis esset sedes Dei, ut qui est simplicissimus, & ubicunq; est, ibi totus est, non minus tam supra cœlum, quàm in terra, & infra terrã esset, & omnia coràm simplicissima sua essentia, ac summa sua maiestate conseruaret & gubernaret? Habes expositionem eorum locorum scripturæ, quæ affirmant Deum habitare in cœlo. Si ergo Deus essentia, & Maiestate sua non minus ubique est, q̃ in externo illo & corporeo cœlo, quid est, quòd peculiariter dicitur in eo cœlo habitare, & si quid in terris agendum, de cœlo descendere? Descendit (inquit Moses) DOMINVS, ut uideret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Et quid est, quòd homines inuocaturi Deum uertunt oculos suos in cœlum potius quàm in terram, cum Deus non minus impleat terram, quàm cœlum? De hac re etiam in prioribus scriptis à me nonnihil dictum est. Nec ignoro, quo contemptu & quibus sannis Cingliani hoc excipiunt, sed sicut hactenus non suscepimus professionem ueritatis propter Cinglianorum applausum, ita non abijciemus eam propter ipsorum rhonchos. Dominus igitur Deus noster dicitur in cœlo magis, quàm in terra habitare, nõ quòd in rerum natura uerè existat tale cœlũ, quale Cingliani somniant, quod sit corporeum supra omnes cœlos constitutum, & suis locis, ac locorum interuallis distinctum, in quo Christus localiter eat, sedeat, & deambulet, prout ipsi uisum fuerit. Nec idcirco uertunt homines oculos suos in inuocatione nominis Dei ad cœlum, quòd Deus magis ibi habitet, quàm in his terris. Nec etiam ob illam causam, quòd cœlum sit maioribus miraculis, quàm ullum aliud corpus à Deo illustratum. Nam si principaliter propter hanc causam uertendi es-

sent oculi in inuocatione ad cœlum, multo magis uertendi essent ad hominem quemuis obuium, quippe quòd homo cõditus sit ad imaginem & similitudinem Dei, ideoq; multo sit illustrius habitaculum Dei, quàm cœlum. Sed hoc fit humano quodam & pædagogico more, & ad designandum discrimen inter thronos Regum & Monarcharum huius terræ, & inter thronum DOMINI Dei nostri. Sicut enim illis tribuitur inter suos subditos altior sedes, ut omnibus suis sint conspicui & uenerabiles, ita cum inter corporea loca, non sit in humanis oculis altior cœlo, collocamus eò Deum, & uertimus eò oculos, ut significemus nos non regem quendam terrenum, sed regem cœlestem, regem Regum, Dominum dominantium, colere atq; inuocare. Extant & alia, si oculos rectè circumtulerimus, habitacula Dei. Ecce enim tibi Patriarcham Iacobũ. Hic, cum uideret scalam stantem super terram, & cacumen eius, tangens cœlum, ac audiret Dominum promittentem sibi, q; in semine suo (qui est Christus) benedicendæ essent omnes gentes, exclamat, Verè Dominus est in loco isto. Et, Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Habitaculum igitur Dei est, ubi Deus patefacit uerbum suum. De Zione quoq; dicitur: Elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationem sibi. Erat autem in Zione templum diuino mandato excitatum, & erat ibi arca propiciatorij, erant etiam ibi sacra diuinitus instituta, adeoq; prædicabatur ibi non decalogus tantum, uerumetiam promissio de uenturo Messia, Christo Domino nostro. Rectè igitur dicit habitaculum Dei. Sed nondum est horum habitaculorum finis. De omnibus enim pñs dicit DOMINVS, Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero Deus illorum. Et Christus

ipse,

ipſe, Si quis(ait) diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & MANSIONEM apud eum faciemus. Quare, ſi eſſentiam & omnipotentem maieſtatem Dei conſideraueris, habitaculum eius eſt excelſius cœlo, profundius inferno, longius terra, & latius mari. Eatenus enim patet, quatenus ipſe ſua eſſentia & maieſtate. Si autem conferas thronos regum terrenorum, cum throno Dei, rectè dixeris: Cœlum cœli Domino, terram aũt dedit filijs hominum. Si rurſum intuearis patefactionẽ uerbi Dei, rectè dicit Deus ibi habitare, ubi uerbum eius prædicat. Si aũt clementiam & gratiam cœleſtium bonorũ ac æternæ fœlicitatis reſpexeris, ſinguli homines pij, ſunt ſingula habitacula, & ſingulę mãſiones Dei. Ex quibus ſequitur, ꝙ cum Deus dicit in cœlo habitare, & uocabulũ cœli generatim ſumit, unum quodꝙ eorum habitaculorũ Dei, quæ recitauimus, & inter quæ non inuenimus habitaculum â Cinglianis confictum, cœlum dici queat.

Quid ergo eſt, quod Paulus ad Timotheum ſcribat, Deum habitare lucem inacceſſam? An non hæc lux inacceſſa eſt cœlum illud corporeum, in quo Chriſtus ſedet, aut ambulat? Oſtendimus ſuprà, quòd cœlum illud Cinglianum nullum habeat ſpiritus ſancti teſtimonium, ſed ſit ex Ariſtotelis axiomatis extructum, aut potius confictum. Quomodo ergo poſſet eſſe lux illa inacceſſa? niſi fortè ſentiamus idcirco dici lucem inacceſſam, ꝙ nec Deus nec homines eò unq̃ acceſſerint, aut uiderint, quippe ꝙ in rerum natura nõ exiſtat, nec unq̃ extiterit. Sed Paulus per lucem inacceſſam longè aliud intelligit. Quod enim ad Timotheũ uocat lucem inacceſſam, hoc ad Romanos uocat profunditatẽ iudiciorũ, & uiarum Dei, exclamans, O profunditatem diuitiarũ,

& ſapientiæ & cognitionis Dei, & inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & impereſtigabiles uiæ eius. Quis cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à conſilijs? aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex illo & per illum, & in illum omnia. Ipſi gloria in ſecula Amen. Habes quæ ſit lux illa inacceſſa, quæ certè ibi eſt, ubicunq; Deus eſt, ſiue in cœlo, ſiue in terra. Non potes enim ubicunq; fueris, Deum nec uidere nec accedere, nec cõprehendere, niſi quatenus ſe ipſe patefecit, in hoc quidem ſeculo per conſpicilium in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, ut nunc quidem cognoſcamus eum ex parte, tunc uerò cognoſcemus, ſicuti & cogniti ſumus. Hactenus de habitaculo Dei, quod & cœli nomine continetur. Et ex his manifeſtum eſt, quale ſit ſcommatillud, quo Bullingerus, homo ſcilicet lepidus, uocet cœlum ubiquarium. Certè enim aut idem ſcomma in Deum ipſum redundat, ut uocet Deus ubiquarius, aut Cingliani eò inſcitiæ deuenerunt, ut non ſentiant, Deum eſſe ubiq; in regno ſuo cœleſti. Sed de hac re poſtea. Nunc pergemus in propoſito. Poſtquam enim diximus de habitaculo Dei, nunc etiam de habitaculo Angelorum dicendum erit. Deus, ſpiritus eſt increatus, Sunt & angeli ſpiritus, ſed creati. Nec indigent locis corporalibus, in quibus cõmorentur. Etſi enim & Deus & Angeli, cum ſe in hoc mundo, ſiue in cœlo ſiue in terra patefaciunt, in locis apparent, ipſi tamen ſua eſſentia corporalibus locis non circumſcribuntur. Vbi ergo ſunt angeli? Et quod eſt angelorum habitaculum? Cùm enim non ſint nihil, alicubi ſint neceſſe eſt. Non poſſumus autem eos in alio habitaculo inuenire, præterquam apud Dominũ Deum noſtrum, qui cùm, ubicunq; eſt, in regno ſit cœleſti, neceſſariò & ipſi ſunt in regno cœleſti. Etſi enim aliquoties

liquoties apparent externis formis in hac terra, tamen ut non deserunt Deum, ita nec deserunt regnum cœleste. Apud Danielem: Millia millium ministrant Deo, & decies millies centena millia assistunt ei. In Epistola ad Hebræos: Omnes Angeli sunt administratorij Spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis. Nũquid ergo deserunt interea, dum seruiunt hominibus in terra, cœlum aut Deum? Nihil minus, Angelus enim, qui astabat Cornelio, etiamsi nõ apparebat eodem tempore, & in eadem forma Philippo, tamen non deseruerat interea suam apud Deum in cœlo stationem. Et qui ab altari Zachariam alloquebatur, non aberat à sua sede, quam apud Deum habebat. Dicit enim Christus de paruulis. Angeli eorum in cœlis semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. In Genesi fiunt Angeli Dei obuiam Iacobo. Et dixit Iacob. Hæc sunt castra Dei. Num ergo hi Angeli iam primum de cœlo uenerant, & habitaculum suum deseruerant? Nihil minus. Manebant enim in cœlo, & iam antè aderant apud Iacobum, sed tum primum externa forma apparebant. Castra metatur, (inquit Psalmus) Angelus DOMINI circum timentes ipsum, & eripit eos. Et Christus, Angeli eorum (inquit) in cœlis semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. In historia Regum Israeliticorum, uidit seruus Elizæi montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Elizæi. Hic erat exercitus Angelorum. Nunquid iam primum de cœlo descenderant? Potuit quidem humano more dici, quòd descendissent de cœlo, quia antè inuisibiles, nunc fiebant uisibiles, non autem deseruerant cœlum, nec antea aberant ab Elizæo, Sed & simul erant in cœlo, & tuebantur Elizæum in terris, & manifestabant

Martyr fol. 6.

festabant se in monte. Angeli enim eorum (inquit) in cœlis, semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. Quare, etsi Angeli apparent aliquoties in hac terra uisibili forma, tamen inuisibili sua substantia semper sunt in regno cœlesti, apud DOMINVM Deum nostrum, qui cum cœlum & terram impleat, semper suas secum habet Angelorum tam in cœlo, quàm in terra legiones. Sed ueniamus nunc ad Christum Dominum nostrum, & ad eos, qui ex hac uita in Christo excedunt. Quod ergo est habitaculum ad quod Christus se recepit? In cruce audimus ipsum clamantem, Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Moriens igitur deposuit Spiritum suum apud Patrem suum. Nunquid ergo Pater longius aberat in cœlo illo Cingliano? Nihil minus. Nullum enim est tale cœlum. Et Pater etsi habitare dicitur in cœlo, tamen in propinquo erat, & excipiebat etiam Spiritum Christi in propinquo. Et paulo ante mortem suam dixit ad discipulos, Nunc uado ad eum qui misit me. Et mox: Vado ad Patrem, & posthac non uidetis me. Ac rursus: Pusillum & non uidetis me, & iterum pusillũ, & uidebitis me, quia VADO AD PATREM. Et iterum: Exiui à Patre, & ueni in mundum, Iterum relinquo mundum, & uado ad Patrem. Et post resurrectionem: Ascendo, inquit, ad Patrem meum, & Patrem uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Nunquid ergo cùm uenit in hunc mundum, & factus est homo, deseruit Patrem, & non fuit apud Patrem, Dicit enim: Exiui à Patre, & ueni in mundum? Et nunquid, postquam resurrexit à mortuis, & uadit ad Patrem, non est amplius in hoc mundo: quia dicit, Relinquo mundum, & uado ad Patrem? Certè, sicut Patrem nunquàm deseruit, Dicit enim, Non

creditis,

creditis, quia ego in Patre & Pater in me est? Et iterum: Non sum solus, quia Pater mecum est, Ita nunquam de seruit mundum. Ego enim, inquit, uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Quid ergo est, Relinquo mundum, & uado ad Patrem? Nihil certè aliud est, quàm quòd cum in diebus carnis suæ exinaniuisset se forma Dei, & assumpsisset formam serui, nunc à resurrectione recepit formam Dei, & ingressus est in maiestatẽ Patris. Hoc enim est uadere ad Patrem, in paternum uidelicet thronum conscendere, & suam maiestatẽ patefacere. Quod adhuc apertius exponitur per eum Religionis nostræ articulum, quo dicitur Christus consedisse ad dextram Dei Patris sui omnipotentis. Cum ergo quæritur, quo post mortem & resurrectionem, & ascensum suum in cœlum peruenerit Christus, hic respondet Cinglianus, ascendit super hunc mũdum corruptibilem in certum locum, & super omnes cœlos, incorpoream quidem sed latissimam regionem, in qua pro sua libertate interdum stet, interdum sedeat, interdum ambulet. Quòd si non etiam uectatur, certè Mahumetes deum suum maiori afficit honore, quàm Cingliani Christum. Ille enim ait Deum uectari ab octo Angelis, in sella gestatoria. His autem Christus in cœlo suo, non uectatur, sed necesse habet tantum stare, aut sedere, aut ambulare. Nisi enim fuerit iuxta ipsorum sententiam, in certo loco circumscriptus, non potest retinere proprietatem corporis sui. Et quia non dicitur esse in loco localiter, mirantur ubi nam sit uerum corpus DOMINI, quod ita nullum uspiam locum habeat. An ascendendo (inquit Bullingerus) in cœlum ita dispa ruerit, ut iam nullibi sit, commonstrariue possit? Et hic putat me in ea præcipitia delatum, ut necesse habeam, Fol. 9.

corpus

corpus Christi aut loco circumscribere, aut fateri nusquàm, ideoque non esse, mauultque lepidus uir in hac causa cum Augustino, quàm cum Brentio facere. Ac per me quidem licebit Bullingero facere, qui cum libet, & agnosco ipse Augustinum in Ecclesia filij Dei magnum uirum: Sed quatenus se ipse uult agnosci, & usq; ad aras, ut habet prouerbium.

Age igitur inspiciamus hoc dictum Augustini: Tolle corporibus spacia locorum, &c. quod toties à Cinglianis iactatur, paulò accuratius. Etsi enim expendimus illud in priori scripto, tamen quia omnino iudicant esse sacrosanctum, & præferunt dicto ipsi Christi in Cœna, Hoc est corpus meum, &c. non grauabimur iterum de eo, quæ ad rem uidebuntur, dicere. Primum enim, Augustinus in ea Epistola, in qua hoc dictum extat, docet, aliter esse in hoc mundo Deum, aliter corpus. Ac illum quidem (quod sit Spiritus) non comprehendi aut teneri locorum spacijs, hoc autem, nisi locorum spacijs contineatur, non esse. Loquitur autem de corpore, quam habeat naturam in hoc mundo, in hoc, inquam, corporali, non quam habeat in spirituali & cœlesti mundo. Si enim consideraueris corpus, iuxta rationem eius naturę seu conditionis, quam habet in hoc externo mundo, manifestum est, quòd non sit nisi in loco. Si autem consideraueris, iuxta eam conditionem, quam habet in cœlesti mundo, docet Paulus, quòd non sit animale, sed spirituale & cœleste, quod ut nec cibo, ita nec loco indiget. Quare si Augustinus manserit cũ hoc suo dicto in schola Philosophica huius externi & corporalis mundi, suum habet, eumque congruentem locum. Si autem Cinglianus quispiam transtulerit hoc dictum è Philosophica in Theologicam scholam, & è conditione huius seculi,

culi,ad conditionem alterius seu futuri seculi,iam nõ est amplius Augustini,sed Cingliani.Itaq; eadem facilitate contemnit,qua affirmat.Deinde,etsi Cingliani negant Augustinũ sentire, quòd corpus & sanguis Christi sint uere & substantialiter præsentia in cœna, tamen nostri, è dictis ipsis Augustini,diuersum rectè,meo quidẽ iudicio,probarũt.Hoc accipite,inquit Augustinus,in pane, quod pepẽdit in cruce.Et hoc accipite, in calice, quod effusum est de latere Christi.Eadẽ igit ratione probarunt, q Augustinus sentiat,corpus posse,salua sua substantia, constare,etiãsi non fuerit localiter in loco.Postremo,ob seruatu dignum est, quod aliàs scribit,Miraculũ(inquiens)est,quòd DOMINVS noster Iesus Christus,in carne uera intrauerit ad Apostolos per ostia clausa. Dicis mihi:Si per ostia clausa Christus intrauit, ubi est corporis põdus? RECEDANT PAVLISPER PONDVS ET MOLES.Ille hæc facit,cui NIHIL est impossibile. Si rationẽ à me poscis,non erit mirabile. Cũ audis miraculũ,serua fidẽ,non requirat animus rationẽ,&c. Recedant,(inquit) paulispẽr põdus & moles. Si Augustinus potest corpus absoluere à põdere & mole,potest certè ipsum etiã à loco absoluere,quippe quòd corpus non sit, nisi propter suam quãtitatem,in loco. Vides igitur manifestè, quòd ne ipse quidẽ Augustinus suũ illud dictũ (Tolle corporibus spacia locorũ,&c.) καθολικῶς, uerum, & sacrosanctum iudicauerit,nec uelit,ut ad filium hominis,quem filius Dei in unitatẽ personæ assumpsit,in cœlesti suo regno trãsferat.Et quia nõ deducit ex eo absurda illa,quæ Cingliani, tolerandũ uidetur.In Cinglianis aũt intolerandũ est, quòd ex eo non solum proturbant, quod in ipsis est,ueram præsentiam corporis & sanguinis Christi è cœna, uerumetiã Christũ ipsum è throno

ſuę maieſtatis, quẽad modum ſuprà copioſe demonſtra uimus. Si uerò Cingliani omnino urſerint, Auguſtinũ, dictum illud ſuum (Tolle corporibus ſpacia locorũ, &c.) intelligere etiã de corpore Chriſti, iuxta illud: Quandiu Dñs ſurſum eſt, in uno loco eſt, nec patiantur, ut hoc exponatur, nõ de maieſtate, ſed de apparitiõe Chriſti, quæ ſolet in uno loco fieri, certè ſecũ ipſe pugnabit. Itaq; nec nos nec Cinglianos iuuat, & neceſſe habebimus, ſola ſacræ ſcripturæ autoritate contenti eſſe. Cum ergo quæritur: ubi nam Chriſtus nunc cum corpore ſuo commoretur, nõ eſt reſpondẽdum more Cinglianorum, quòd commoretur in certo loco, in regione ſupra omnes cœlos, circumſcriptus, ubi localiter aut ſtet aut ſedeat, aut hinc inde ad fallendum fortaſsis tempus deambulet.

Non ignoro, etiã aliįs quibuſdã patrib. uiſum fuiſſe, corpus Chriſti in altero illo, & cœleſti ſeculo, ſuis terminis circũſcribere. Sed quæ eſſent in ſanctis illis, & obſeruatione in ſuo gradu digniſsimis patribus honeſtè tegẽda, & diſsimulanda, aut ſaltẽ cõmodè, ſi fieri poteſt, interpretanda, ea Cingliani tãquam in ſummo pietatis faſtigio collocãda oſtentãt, & obtrudũt. Et cũ aut paucis uerbis ad ea uenerabũdi, abſq; expreſſa nominum recitatione, & contumelia reſpõdemus, aut ſilentio tanquam reſponſione indigna, pręterimus, interpretantur modeſtiam & ſilentiũ, cauſę diffidentiã & haſtę abiectionẽ. Agedum igitur, ſumamus unũ aliquẽ eorum Patrum, quorum autoritatẽ Cingliani iactant, in manus, & expendamus ea ſeueritate, quę in iudicandis fidei dogmatis adhibẽda eſt, ſcriptum aut dictũ eius, quod ueritati ab aduerſariįs opponi ſolet, uiſuri, quos triumphos reportent. Si quid paulo liberius in eum dicitur, Cingliani non nobis, ſed ſibi imputẽt, quòd inſultatione ſua ad hoc neceſ-

ſitatis

fitatis nos adegerint. Ecce aũt tibi Theodoretũ, qui manifestè scribit, corpus Dñicum habere, quã prius habuit, circũscriptionẽ. Et faciemus alterũ σύγχρονον eius, cũ ipso hac de re colloquentẽ. Sit sanè hic Cyrillus, qui & aliâs nõ oĩa Theodoreti, quẽadmodum testãtur Anathematismi eorũ, probat. THEODORETVS. Corpus, inqt, Dñicum, surrexit quidem à corruptione, & interitu alienũ, & impatibile, et immortale, et diuina gloria glorificatum, & à cœlestibus adoratum potestatibus. Corpus tamen est, & habet, quam prius habuit, circumscriptionẽ.

CYRILLVS. Quæ quidem Theodorete cõmemoras de corpore Dominico, quòd resurrexerit à corruptione & interitu alienũ, & impatibile & immortale & diuina gloria glorificatum, & quòd à cœlestibus potestatibus adoratur, agnosco & laudo. Extant enim perspicuè in sacris literis, & habent manifesta in scriptis Propheticis & Apostolicis testimonia. Sed quòd addis, corpus tamen est, & habet, quam prius habuit, circumscriptionẽ, partim ambiguè, partim, ut pace tua dixerim, falso dicitur. Ambiguum est, quòd ais, corpus tamen est: falsum autẽ, quod ais, habet circumscriptionẽ quam prius habuit. Fateor. n. quòd substantia quidem sit corpus, non est aũt amplius post resurrectionem et glorificationem, corpus animale, quod indigeat cibo, potu, locis & temporibus, sed est spirituale, sicut Paulus dicit, quod sit trãslatum in mundum spiritualem, & habet cõditiones spiritus. Vt enim spiritualis ille & cœlestis & æternus mundus, non constat mundanis temporibus, præsertim præterito & futuro, sed omnia sunt in eo unum perpetuũ instãs, aut si qd aliud uocabulum ex hoc mundo ad ineffabilẽ illã existentiã transferri põt, nec constat mundanis locis, uidelicet superficiebus corporis continẽtis, sed o-

mnia sunt in Deo, & Deus est omnia in oĩbus: ita corpus spirituale, quale est corpus Christi post resurrectionem translatum in mundum spiritualẽ, & ornatum cõditiõibus spiritualibus, trãscendit omnia humana, inter quæ certè sunt & tempora & loca, ut nec præterito, nec futuro definiatur, nec alto nec profundo locõ continea tur, sed continetur in Deo, qui nullo loco circumscribit, et est, ut paulo antè ex Paulo dixi, oĩa in omnibus. Ac fieri quidem solet, ut Christus è spirituali & cœlesti mũdo sese in hoc corporali mundo patefaciẽs, appareat in uno loco, & uideatur circumscriptus. Si aũt cœlestem & diuinam maiestatẽ eius consideraueris, sedet ad dextrã Dei Patris sui, & tãtum abest, ut loco circumscribatur, ut cœlum, & cœli cœlorũ, iuxtà Salomonem, capere eum non queãt. Quare Theodorete, quòd dicis corpus Christi in cœlesti uita, & gloria habere circumscriptionem, quam prius habuit, uideris mihi non diuinis, sed humanis rationibus, ac præsertim illo Aristotelis axiomate. Omne corpus est in loco, persuasus hoc affirmare. THEOD. Non dixerim ego humanis persuasus rationibus (Neq; enim adeo audax sum ac temerarius) quod scriptura silẽtio præterijt, sed audiui Paulum clamãtem: Statuit Deus diem, in quo iudicaturus est terrarum orbem in iustícia, per eum uirum, quem præfinijt, fidem præbens omnibus, suscitans ipsum à mortuis. Didici etiam à sanctis angelis, quòd ueniet eo modo, quo uiderunt ipsum discipuli euntem in cœlum. Viderunt autem naturam circumscriptam, non eam, quæ circumscribi non potest. Audiui etiam ipsum DOMINVM dicentem, Videbitis filium hominis, uenientẽ in nubibus cœli. Scio uerò esse circumscriptum, quòd uidetur ab hominibus. Videri enim non potest natura, quæ circumscribi nõ potest.

Dominum

Dominum quoq; iterum dicentem audiui: Cum uenerit filius hominis in gloria sua, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, &c. Porrò aũt & sedere in throno gloriæ, & statuere quidẽ agnos à dextris, hœdos uerò à sinistris, id q̃d circumscriptũ est significat. CYRILLVS. Hęccine, quæso te, diuinæ sunt rationes, quibus persuasus, seriò existimas corpus Christi habere in cœlesti regno circũscriptionem, quam prius habuit? Equidẽ magni ipse facio, ut debeo, uerba sacræ scripturæ, quæ recitasti, sed ex his haũdquaquam consequunt̃, quæ instituisti. Expẽdamus igitur ea. Primum de tuo addis, cum dicis, scio esse circumscriptũ, quod uideri ab hominibus. Putas ne hoc generaliter citra ullam exceptionẽ esse uerum? Non negabis, credo, q̃in Deus Pater sit natura sua incircumscriptus. Quomodo.n. circumscriberetur, qui est excelsior cœlo, profundior inferno, lõgior terra, & latior mari? Ioannes aũt in Epistola sua dicit: Videte, inquiẽs, qualem charitatem dedit nobis PATER, ut filij Dei nominemur. Et mox: Charissimi, nũc filij Dei sumus, & nõdum patefactũ est id q̃d futuri sumus. Scimus aũt, quòd si patefactum fuerit, similes ei erimus. Quoniã VIDEBIMVS EVM (uidelicet Deum Patrẽ) SICVT EST. Quare si, quod tu affirmas, circumscriptum est, quod uidetur ab hominibus, aut nos cum uidebimus Deum Patrẽ, sicut est, non erimus homines, aut Deus Pater erit circumscriptus: utrumcumq; affirmaueris, intelliges te in horribiles absurditates incurrere. Deinde expectaui, ut proferres dicta sacræ scripturæ, quibus testificareris, corpus Christi in regno & maiestate sua cœlesti, esse circũscriptum. Tu aũt non protulisti nisi ea, quę testificant̃, quale cõrpus Christi in hõc externo mundo apparere solet. Aliud est.n. Christum cõrpore suo esse in cœlesti &

ęterna maiestate, à dextris Dei. Aliud est, eum pro hominum captu in hoc mũdo apparere. Cum. n. in hoc mundo uisibilis apparet, ibi ut apparet circumscriptus, ita demittit sese ad captum eorę, qui ipsum uident. Sic ascẽdit in mõte Oliueti uisibilis & circũscriptus usq; ad nubes, sic redibit uisibilis & circũscriptus in iudicium, ut uideat eum oĩs caro. Etsi autẽ uidebitur & tunc in aliqua maiestate, sicut & in Galilęa apparuit tribus discipulis trãsfiguratus, in mõte unà cum Mose & Elia, tñ ea maiestas nihil penè ad illã, qua est ornatus in cœlesti regno, ad dexterã Dei Patris sui, & qua implet cœlum & terram, nisi forte pueriliter, imò Thalmudicè sentias uniuersam Dei maiestatẽ apparuisse, & circumscriptam fuisse, cum Esaias uidit DOMINVM sedentẽ super solium excelsum & eleuatum, & audiuit Seraphim clamantes: sanctus, sanctus, sanctus DOMINVS Deus Zebaoth, & cũ Ezechiel uidit apertos cœlos & gloriã Dei iuxta fluuium Chobar. Quare etsi, bone uir, recitasti uerba sacræ scripturę, nondum tñ probasti, corpus Christi in cœlesti sua maiestate, ad dextrã Dei Patris loco ita circumscriptum esse, ut nisi eo contineatur, non sit uerę corpus. Postremò, haud scio, num me rideas, aut de mea insulsitate periculum facias, q; ad probandam circumscriptionem corporis Christi in cœlesti et ęterna maiestate, cõmemoraueris locum ex Matthęo de Throno glorię, in q̃ sessurus sit Christus, & iudicaturus orbẽ terrę, cum agni à dextris, hœdi uerò à sinistris statuent. Quęso te existimasne serio, spectaculum extremi iudicij tam crassum fore, q; sunt tribunalia & subsellia iudicum huius terræ, ad quæ ex una parte stant accusatores, ex altera rei? In qua, obsecro regione, in qua regionis parte collocabitur hic thronus? Nũ in ualle Iosaphat? Quid ni? Sic. n. dicit DOMINVS

MINVS apud Prophetã. Cõgregabo oẽs gentes, & deducã eas in uallẽ Ioſaphat, ac diſceptabo cũ eis, &c. At. n. metuendũ eſt, ne ea uallis anguſtior ſit q̃ quæ poſsit oẽs gentes, quę unq̃ à cõdito mundo fuerunt, & adhuc, uſq; ad nouiſsimũ diem ſunt futurę, capere. Sed bene habet, niſi planè ab omni cœleſtiũ rer̃ ſenſu exciderís, neceſſe habebís fateri, q; ſicut Chriſtus, cum ait ad Apoſtolos: Ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meã, in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicãtes duodecim tribus Iſrael, ita etiã cum ait, agnos ſtatuendos à dextris tribunalis ſui, hœdos aũt à ſiniſtris, mutueť uocabula à terrenis ſedibus & mẽſis, quibus utcunq; adũbret res cœleſtes. Quare ſicut furor eſſet, ex his uerbis extruere Chriſto in terris regiũ tribunal, et ſtrepitũ ac ſeriem partiũm litigãtium in modum forẽſium iudicior̃, ita nõ maior mentis ſanitas eſt, ex ipſis non colligere tm̃, uer̃ etiam ſumma peruicacia urgere circumſcriptionem corporis Chriſti in cœleſti regno, ad dextrã Dei Patris oĩpotẽtis. Breuiter, bonã haberes Theodorete cauſam, ſi Ariſtot. cũ ſuo axiomate (omne corpus eſt in loco) eſſet Philoſophus, nõ ſolum huius corporalis & externi, uer̃ etiam ſpũalis & cœleſtis mundi. Nũc aũt cum nullum habeat locũ in cœleſti regno, haud immerito tibi, cũ tua corporis circũſcriptione, cauſa cadendũ eſt. THEOD. Sed habeo aliud teſtimoniũ ſcripturę, q̃ manifeſtè probať, corpus Chriſti, etiã ad dextrã Patris ſui eſſe circumſcriptũ. Audiui. n. pręclar̃ uictorem Stephanum dicentẽ: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hoĩs ſtantẽ à dextris Dei, uidit aũt, eam, quę uideť, naturã, non quę ſub aſpectum nõ cadit, etc. CYRILLVS. Iterum mihi non cõmemoras, niſi exemplũ apparitiõis Chriſti in hoc ſeculo. Quid enim?

enim? Num quia Stephanus uidit semel in sua passione cœlos apertos, & Iesum stantẽ à dextris Dei, idcirco cœli sunt reipsa diffissi, & Iesus semper in regno cœlesti, & in ęterna sua maiestate stat aut sedet localiter ad dextrã Dei? Vidit etiã Ezechiel cœlos apertos, & uidit animalia & rotas, uidit etiã speciem Electri, quæ erat uisio similitudinis gloriæ Dei. Nũ talis est gloria Dei in regno & maiestate cœlesti? Nihil certè minus. Qualiscunq; tantũ adumbratio fuit, non plena demõstratio uniuersę maiestatis Dei. Sic & apparitio Christi stantis ad dextrã Dei, Stephano facta, nõ fuit perfecta totius maiestatis Christi reuelatio, nec significauit Iesum humano more ad corporalẽ Dei Patris dextrã in cœlesti regno, & in summa sua maiestate localiter stare, sed fuit uisio, q̃ Stephano ad captũ suũ eatenus patefacta est, quatenus ex ea in extremis suis periculis, consolationẽ caperet. Deus.n. Pater, nõ habet dextrã corporeã, nisi fingas Deũ ipsum corporeũ. Nec dextra eius est locus corporeus, sed est summa & omnipotens maiestas eius, ad quam Christus idcirco consedisse dicit, quòd ad eam ita sit elatus, ut eandẽ cum Deo Patre omnipotentiã & maiestatẽ possideat, quẽadmodum aliâs copiosè demonstratum est. Quare cũ apparet Stephano stans à dextris Dei, non testificat, se hoc semper habitu & forma in cœlesti regno in summa sua maiestate, localiter, & circumscriptiuè uersari, sed testificatur Stephano, hac qualicunq; externa uisione (qua sic apparuit, ut humana Stephani natura in hoc seculo ferre potuit) se cõseruaturum ipsum in media morte, & iudicaturum suo tẽpore aduersarios. Hic nunc Theodorete uides, q̃ ineptè, q̃ incongruenter testimonia scripturę tuo somnio de circũscriptione corporis Christi, in summa cœlestis regni maiestate, accommodaueris. Ac libenter

benter quidem fatemur tibi ignoscẽdum esse, quòd fortassis nec tu ipse exactius perpenderis, nec alius quispiã, te de discrimine apparitionis Christi in hoc mundo, & summę maiestatis eius in cœlesti regno admonuerit. Si autẽ post te exorituri sunt homines, qui freti tua autoritate cõtumeliose rixentur, corpus Christi in summa sua cœlestis regni maiestate loco circumscribi, ac localiter hinc inde, in corporeo cœlo, q̃d fingant super hunc corporeum mundum, collocatum, aut stare, aut sedere, aut deambulare, ac ne admoniti quidem sæpenumero, oculos aperiãt, sed prę fractè in pertinacia sua pergãt, hi Christo iudici haud dubiè temeritatis suæ rationem reddere cogentur. Hactenus collocutio Cyrilli cum Theodoreto. Quòd si ad hunc modum singula Patrum dicta, quæ Martyr & Bullingerus in suam opinionem detorquere conantur, expendẽda suscepissem, quis fuisset huius scripti modus? Idem mihi dicendum est ad ea scripturæ loca, quæ Bullingerus, ad comprobãdum fictitium suum cœlum, recitat. Cùm enim ad ea paucis, ne & libelli modus excresceret, & Lectori superuacanea prolixitate essem molestus, respondissem, ac haud obscurè significassem, me agnoscere quidem loca scripturæ, non autem agnoscere uanas Bullingeri sequelas, nihilominus tamen ea acerbitate in me insurgit, ut facilè agnoscas eum nõ prę meditatum, sed motibus illis animi perturbatõribus incitatũ hæc scripsisse. Quid ad me (inquiens) scholasticæ illæ disputationes, cur non respondet ille (Brentius) ad loca scripturæ, & Patrum à me adducta? Cur ibi piscè magis est mutus, in alijs nõ necessarijs uerborum satis prodigus? Scilicet illis scriptoribus non est respondere, si quis exposita & cõfirmata uera & pia eius causæ, quam tractandam suscepit, sentẽtia, paucis uerbis lecto

rem admoneat, quid de obiectis aduersariorum sit sentiendum. Et nisi singula uerba aduersariorum numeres, ac commentarium in ea scribas, audiendum erit, Pisce magis mutus es. Sed insultent illi & agãt triumphos more suo quoslibet. Ego spero me, Deo propicio, causam ipsam ueræ Ecclesiæ Dei ita probasse, & iterum hoc scripto probaturum, ut nõ sit in me officium desideratura. Nam si singula fuissem copiose persecutus, uisus essem iudicio pij & prudẽtis lectoris diffidere. Malui igitur lectori multa, quasi digito indicare, q̃ molesta loquacitate, sine aliquo Ecclesiæ emolumento, ea, quæ ipsi non ignota putabam, obtrudere. Sed ad institutum. Cũ quæritur, Vbi nam Christus nũc cum corpore suo commoretur? non est respondendum, quòd contineatur localiter in loco quodam circumscriptus, sed respondendum est, quòd sit apud Patrẽ, in domo Patris, in Throno Patris, & ad dexteram Patris. Vbi autem est Pater? Vbi domus Patris? Vbi thronus Patris? Vbi dextera Patris? Num hæc sunt certis locis circumscripta? Num in regionem quandam supra omnes cœlos latissimã quidem illam, sed terminis suis localiter definitam, ita sunt conclusa, ut nec in his cœlis, nec in his terris inueniãtur? Nihil uerò minus. Scripta enim Prophetica & Apostolica non intrudunt Deum Patrem in aliquam circumscriptam regionem, quamuis amplam, quãuis illustrem, quamuis à terris remotam. Sed dicunt, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascẽdero in cœlum, tũ illic es: si descendero ad infernũ, ades. Nec definiunt domum Patris sicut definita fuit domus à Salomone ædificata. Sed dicit Salomon ipse, Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quãto minus domus hæc, quam ædificaui? nec collocant thronum eius in aliquo certo li

thostroto,

thoſtrotō,ſed tribuunt ei pro pauimento,in quo ſit poſi tus,cœlum & terram,& omnia quę in eis ſunt. Cœlum (inquit) mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meo/ rum. Nec redigunt dexteram maieſtatis eius in corpo/ reum locum ſiue anguſtum ſiue auguſtum, ſed exten/ dunt(ut ita κατα χρησικῶς loquar)eam tanta latitudine,& amplitudine, quanta eſt eſſentia eius. Putas ne Deus e/ go ſum è uicino,dicit Dominus,& nõn Deus de longè? Si occultabitur uir in abſconditis, & ego non uidebo e/ um,dicit DOMINVS? Nunquid nõ cœlum & terram ego impleo,dicit DOMINVS? Reliquum igitur eſt, quòd Chriſtus,iſque totus uidelicet,non diuinitate tan/ tum,uerũmetiam humanitate ſua commoretur tam in cœlo quàm in terra,atq; adeò ubicunq; eſt Pater ipſe, & domus,Thronus,& dextera Patris. Et quia Chriſtus a/ ſcendit in cœlum, & habitat in cœlo, uidetis ne omnes uerè piį quàm latè pateat cœlum illud, in quo Chriſtus commorari dicit? Quid enim ad me Auguſtini (quod tamen citra contumeliam tanti uiri dictum eſſe uolo) axioma,Tolle corporibus ſpacia locorũ,&c.& Ariſtote lis,Omne corpus eſt in loco? quorum autoritate Cin/ gliani ad ſuum phantaſma, in rebus cœleſtibus abutun tur. Habeo à mea parte Prophetas, habeo Apoſtolos, habeo Spiritum ſanctum,qui collocant Chriſtum DO minum noſtrum,unà cum corpore,ſeu humanitate ſua ad Deum Patrem,in domo Patris,in Throno Patris,& ad dexteram Patris. Non igitur timebo, quid faciat mi/ hi homo,quid rideat, quid naſo ſuſpendat adunco, nec metuã(cur.n.metuerẽ) ut homo phyſicis ſuis axioma/ tis Chriſtum Dominum noſtrum,è ſede maieſtatis ſuę proturbet. Hactenus de habitaculo Chriſti in regno cœ leſti. Nunc dicamus etiam de habitaculo Sanctorũ,ſeu

piorum, qui in Christo ex hac uita excedunt. Ac de animabus quidē seu spiritib. eorum nulla est, ut existimo, controuersia. Iustorū animæ (inquit) in manu Dei sunt. Et Stephanus ait: Domine Iesu, suscipe spiritū meum. Non est inanis precatio. Quod Stephanus orauit, hoc & impetrauit, ut Dominus Iesus spiritum eius susceperit, & conseruet eum usq; ad resurrectionem, in qua Stephanus unà cum corpore æternam fœlicitatis gloriam cōsequetur. Dicit & Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Viuunt igitur & conseruantur Sanctorum spiritus, in manu Domini nostri Iesu Christi. Sed ubi nunc est Elias, qui igneo curru raptus est in cœlum? Vbi Moses? qui cum apparuerit unà cum Elia, apud Christum in transfiguratione eius, dubium non est, quin & ipse unà cū corpore suo in altero seculo uitam agat, præsertim, cum etiam scriptura id significet, Non cognouit (inquiens) homo sepulchrum eius, usq; in præsentem diem. Vbi Enoch, qui & ipse translatus est cum corpore in alterum seculum? Vbi hi qui cum Christo resurrexerunt? Monumenta (inquit Matthæus) aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt. Et egressi de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatē, & apparuerunt multis. Vbi ergo, illi nunc agunt uitam? De hac re nō tenet nos animi dubios Christus ipse, Postquam abiero (inquiens) & præparauero uobis locum, iterum ueniam, & accipiam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Hic mox exclamabit Bullingerus, Ecce locum. Dicit enim Christus: Præparabo uobis LOCVM. Sed respondet Bullingerus sibi ipse. Nullus est (inquiens) locus mundanus & corruptibilis in cœlo. Quod ergo de corruptibili loco affirmat, manifestum est, in cœlo illo

Fol. 26.

lo perpetuę fœlicitatis, omnia esse ęterna: sed quod additur de loco mundano, uertiginem patitur. Locus enim mundanus est, superficies corporis continentis. Locus mundanus est, in quo statur, sedetur, & deambulat corporaliter & localiter. Talem autem locum collocat Bullingerus, in suo illo Cingliano cœlo. Quid ergo tergiuersatur? Et cum affirmat non esse ibi locum corruptibilem, quid plus dicit Aristotele, qui cũ sentit mundum esse æternum, erit & ille locus æternus? sed fruatur ille suis cum Aristotele locis. Suprà ostendimus, quòd cum nobis loquendum est de rebus spiritualibus & cœlestibus, mutuanda sunt uocabula, à rebus corporalibus & terrenis, ut uel saltẽ aliquo modo de rebus à nostro sensu & intellectu, in hoc seculo alienis, balbutiamus. unde & Christus ipse, nobiscum balbutiẽs, dicit se parare nobis in futuro seculo Locum, non tamẽ intelligit locum, qui sit superficies corporis continentis, in quo uel ipse uel sancti corporali & locali modo eant, incedant, stent aut sedeãt: sed quem nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitauit. Nunquid ergo corpora sanctorum non erunt, quòd non contineantur à superficie alterius corporis, nec corporali & locali modo incedãt? Certè erunt, idq; perpetuò. Vbi ergo erunt? Apud Christum. Dicit enim: Assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Et Paulus: Rapiemur, inquit, in nubibus, in occursum Domini, in aëra, & sic SEMPER ERIMVS CVM DOMINO. Vbi autem est Christus? Apud Patrem. Erimus ergo & nos apud Patrem: Vbi autem Pater? Num est superficie corporis cõtinentis circumscriptus? nihil minus. Sed ibi est, ubi nos erimus. Cùm subiecta, inquit Paulus, fuerint Christo omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui subiecit omnia,

ut sit DEVS OMNIA IN OMNIBVS. Si Deus erit in nobis OMNIA, erit ergo & locus noster, si modò apud nos in hoc seculo mansionem fecerit, & locus eius fuerimus. Vilescat, inqt Augustinus, totũ, quicqd præter Deum est, q nos tuet in loco uitæ huius. IPSE post uitam sit LOCVS NOSTER. Et iterũ: Esto domus eius, & erit domus tua. Habitet in te, & tu habitabis in eo. Si eũ exceperis in hoc seculo corde tuo, ille post hoc seculũ excipiet te, uultu suo. Huc q̃q̃ facit, q̃d Athanasius scribit: Aufer mihi, inquiẽs, subnixũ esse loco, aufer mihi locales capacitates, cum de Deo cogitandũ est. Et mox: Impium est igit, aut quærere, ubi sit Deus, aut quẽ locum obtineat Verbũ, aut quo domicilio claudat Spiritus sanctus &c. Si est impiũ quærere ubi sit Deus, aut quem locũ obtineat, non minus impiũ est quærere, ubi nam locoꝝ sint, aut quę loca obtineant sancti, q sunt apud Deũ, & quorum locus est Deus. Moses & Elias apparẽt præsentes apud Christũ, in transfiguratione. Ac tunc quidẽ apparuerunt in loco, & collocuti sunt cum Christo, humano sermone. Dicebant. n. excessum eius quẽ completurus erat Ierosolymis. Etsi. n. apparebant aliqua maiestate prędĩti, tñ & loco & sermõe sic sese demittebãt, ut potuerint à tribus discipulis & uisu utcũq̃, & auditu cõprehendi. Num aũt existimas eos, si de uera & æterna ipsoꝝ maiestate, quã habẽt in regno cœlesti, dicẽdũ est, descẽdisse tũc de cœlo, humano & locali modo, & sic semper in cœlesti regno uersari, ac loq, quẽadmodũ discipulis apparuerũt? Nihil certè minus. Magna quidẽ apparuit eoꝝ maiestas, sed multo minor est, q̃ q̃ respõdeat æternæ gloriæ filiorũ Dei. Nec tũc primũ descenderũt de cœlo, sed iam antea pręstò adfuerunt, et in cœlesti regno mãserunt. Pręsentiã aũt suã hoc tẽpore &

Psal. 30. Ser. 3. in uersu, Abscondes eos, &c.

hoc

hoc loco iuxta uoluntatẽ Christi, & quantũ discipuli ferre poterãt (quanq̃ nec tantillę maiestatis fulgorẽ constãter potuerint ferre) patefecerũt, ut dici quidẽ queat, eos de cœlo descẽdisse, hoc aũt nihil aliud sit, q̃ q; p̃sentiã suã reuelarint. Quid ergo? Num & ipsi sunt ubiq; & implẽt cœlũ et terrã, sicut et Christus? Exposuimus suprà, maiestatẽ Christi, quantũ è sacra scriptura in hoc seculo cõprehendi potest. Ac de Christo quidẽ nõ est dubiũ, qn cum non sit tm̃ homo, sed etiã uerus Deus, excellat maiestate sua oẽs sanctos, & data sit ei potestas absq; ulla mensura. De sanctis aũt scriptũ est: Vnicuiq; nostrꝝ data est gratia iuxta mensurã donationis Christi. Nõ igit̃ simus in p̃sentia & in hoc seculo de sanctorũ in altero seculo statu solliciti, sed tribuamus suã Christo maiestatẽ oĩbus quę noĩari possunt inter creaturas excellentior̃, & adiũgamus suos ei sanctos. Sic. n. nõ erit metuendũ, ne qd ipsis ad cœlestẽ fœlicitatem & maiestatẽ defuerit. Habes qd de cœlo, aut habitaculo Dei ac sanctorũ eius sit sentiendum. Si. n. loquendũ est de cœlo corporeo, q̃d est initio à Deo creatũ, nõ est ubiq;, sed habet suum à terra discrimẽ & distantiã. Et dicit̃ quidẽ & ipsum habitaculum Dei & sanctorum eius, nõ autẽ existimãdum est, q; Deus essentia sua plus ipsum, q̃ aliás creaturas impleat, aut q; sancti eius in ipso Physicis locationibus & motionibus cõmorentur. Si autẽ loqueudum est de incorporeõ & spirituali cœlo, non est cogitãdum, quòd sit certus locus, suis spacijs circumscriptus, supra omnes cœlos, in quo sancti localiter & corporaliter stent, aut sedeãt, aut deambulent: sed quòd sit regnum cœleste, quod nec locis, nec locorũ interuallis, sed maiestate Dei definit̃, ut ubicũq; Deus maiestate sua regnat, ibi sit incorporeum & spirituale illud cœlum, de q̃ nobis in prę̃sentia sermo est.

est. Et ut Cingliani iterum habeant, quòd pro ipsorum ingenio exagitare possint, cœlum illud ea est conditione, ut in eo non tantum Sancti homines, uerumetiam, Satan & Angeli eius inueniantur. Vbi ergo erit infernus? Num & ipse est in cœlo, aut in regno cœlesti? De hac re sit sollicitus Bullingerus, qui cùm architectatus sit cœlũ locale supra omnes cœlos, definit etiam infernum certo loco. Cùm. n. iracũdè admodum in me insurrexisset, do
Fol. 40. lens, credo, quòd paulo liberius errorem eius perstrinxissem, addit tandem de inferno, Dudum, inquiens, ille suo in loco, ut carcer hostium Dei, à Deo iusto, & omni potente extructus, & cõstitutus est. Fidem ergo hîc scripturæ simpliciter sequor, & absq; curiositate spiritui sancto per scripturas loquenti, credens, sentio, infernum esse infra nos, LOCVM CERTVM, impijs à Domino iustissimè destinatũ, amplum & abundè instructum, satis ad excipiẽdos & torquendos omnium seculorum impios, &c. At si tu Bullingere, fidem scripturę simpliciter sequereris, & absq; curiositate spiritui sancto per scripturas loquẽti crederes, non tam pertinaciter incendiũ de cœna Domini excitatum foueres, nec quęreres tenebras in luce horum clarissimorum uerborum, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus &c. & sicut nõ somniasses locale cœlum supra omnes cœlos, in quo sancti aut sederent aut deambularent, ita nõ somniares nunc localem infernum. Scimus quidem autoritate scripturæ, esse infernum. Scimus tam diabolos, q̃ impios & impœnitentes homines perpetuò in eo torquendos, sed ubi scriptura definit hunc infernum certo loco? Vbi collocat eum localiter & corporaliter uel intra uel infra hanc terram? Hæc uestra sunt, Bullingere, commenta, non scripturæ documenta. Ac profectò, nisi docueritis, uel intra uel infra

fra hanc terram esse adhuc reliquam aliquam localẽ, localem, (inquam) & corporalem regionem, eamq; latissimam quidem, sed circumscriptam, in qua damnati localiter & corporaliter detineantur, quemadmodum de uestro cœlo commenti estis, nunquam effugere poteritis, quin in luculento figmẽto deprehensi sitis. Ais quidem te non uelle de inferno & inferni loco curiosius disputare. Cur ergo tam confidenter affirmas esse certum locum? cur definis eum loco, eoq; corporeo? Quicquid autem sit de situ loci inferni, certè quia Bullingerus omnino definit infernũ corporali loco, necesse habet eum longè omniũ distantissimè à suo cœlo collocare, ut constet ingens illud chaos, quod Abraham inter beatos & damnatos esse affirmat. Non est autem distantior ab eo cœlo locus, quàm medius punctus terræ. In hoc igitur loco Bullingerus infernum collocet, necesse est: sed hic etiam atq; etiam uidendum erit, num is punctus sit tam amplæ & latæ regionis capax, ut queat tantam damnatorum multitudinem comprehendere. Ac profecto diligenter cogitandum erit, ne hac ratione, nõ solum primum caput Geneseos, apud Mosen, uerumetiam diameter terræ apud Geometras periclitentur. Quare difficulter ab ijs impetrabitur ut concedant, intra terram adeoq; in puncto terræ, reliquam adhuc esse corporalem quandam regionem terra ipsa multis parasangis latiorem & ampliorem. Nam quod scriptura affirmat rebelles uiuos in infernum descendisse, & Psalmus imprecatur, ut impij descendant in infernum uiuentes, idem etiam pius Patriarcha Iacob de pio filio suo Ioseph dicit, Descendam ad filium meum lugẽs in infernum. His autem uerbis non intelligẽdum est eum infernum, in quẽ damnati perpetuò cruciandi conijciuntur, esse certum

& corporalem, uel in medio terræ, uel infra terram, lo-
cum. Sed illos quidem repẽtina morte interijsse. (Hoc
enim est uiuum in infernum descendere) Iacobum au-
tem, in luctu ex hac uita excessurum, sicut putabat eti-
am filium excessisse. Nec ego de amplitudine spacij in-
fernalis sollicitus sum, sed anilia uestra delíria de illo ue
stro corporali & locali cœlo ac inferno rideo, ut qui in
professione Christianæ doctrinæ nondum eo profece-
rítis, quo aliquid sublimius, quàm prophani Ethnici,
de sedibus cœli ac inferni sentiatis. Sed relictis, in locali
suo inferno Cinglianis, reuertemur nos ad uerum no-
strum cœlum. Nam cum sermo est de rebus spirituali-
bus & cœlestibus, hæc uocabula, SVPRA ET IN-
TRA, usurpantur quidem ex humana consuetudine,
non definiũtur autem locis, sed dignitate, indignitate,
maiestate, abiectione, gaudio, horrore, lætícia, tristitia,
& alijs id genus. Dictum ígitur est quòd regnum supe-
rum seu cœleste definiatur nec loco, nec locorum inter-
uallis, sed maiestate Dei, qui non tantum gubernat co-
ràm, eos, qui fœlícitate huius regni fruuntur, uerumeti
am Satanam & omnes illos, qui in perpetuam infœlici
tatem conijciuntur. Ergo ne & Satan & infernus erunt
in regno cœlesti? Quid absurdius dici potest? Fateor, co
ram Sycophantis, & ijs, qui carnalibus de cœlo & infer
no phantasmatis fascinati sunt, nihil potest dici abomi-
nabílius. Sed qui sunt in sacris literis rectè eruditi, & nõ
afferunt ad eas sua carnalia somnia, sciunt in Iobe inter
filios Dei, assistentes coram Domino, affuisse etiam Sa
tanam, & collocutum cum DOMINO. Et in libris re-
gum, uidet Propheta DOMINVM sedentem super so
lium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à
dextris & à sinistris, inter quos & spiritus mẽdax stetit.
Et

Et apud Paulum: Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi Dominos, rectores tenebrarum huius seculi, aduersus spirituales astutias IN COELESTIBVS. Quid igitur dicemus? quæ est illa Babylon? quæ rerum confusio? hoc non tantum est cœlum terrę, ut habet prouerbium, uerum etiam cœlum inferno miscere. Sed bene habet. Etsi tm̃ nec cœleste seu supernũ, nec tartareũ seu infernũ regnũ corporalib. locis ac locorũ interuallis definiunt̃, ac distinguunt̃, tñ habẽt suum, idq;, ut ita dicã, latissimum discrimẽ. Et quid nũc nobis de locis corporalibus uel cœli uel inferni? Cura ut habeas Deum propiciũ propter Christum, & siue uiuas siue moriaris, eris in cœlesti gloria & fœlicitate: si aũt habueris Deum iratum, eris in inferno, etiãsi fueris in medio filiorꝝ Dei, & in altissimo uel terræ uel corporalis cœli loco. Sed ô curas hoĩm, ô quantum est in rebus inane. Quid anxiè laboramus de loco, quo uel corpus Christi, uel nostra corpora in altero, hoc est, futuro seu reuelando seculo contineantur, cum & cœlũ & terra unà cum locis suis trãsibunt, & nostra corpora erunt spiritualia?

De transitione seu abolitione cœli & terræ, posterior Petri Epistola, è Psalmo & Esaia concionat̃, Veniet inquiens, dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem transibunt. elementa uerò æstuantia soluẽtur, & terra, & quæ in ea sunt opera, exurẽtur. Ac mox: Expectantes & accelerãtes aduentũ diei Dei, per quem cœli incensi soluentur, & elementa æstuantia liquescent. Cœlos uerò nouos & terram nouam, iuxta promissa illius expectamus, in quibus iusticia inhabitat. Et Christus ipse, cœlum (inquit) & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt. Siue ergo substan-

tia siue tantum inhærentia huius mundi transibunt, certè sicut tempus, ita & locus, quæ sunt mundi inhærentia unà cum hoc mundo transibunt. De humanis autem corporibus dicit Paulus: Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Manifestum quidem est, quòd corpus non mutetur in spiritum, sed fit spirituale, hoc est, ornatur conditionibus spiritualibus, ut quemadmodum spiritus nec cibo, nec potu, nec somno, nec loco, nec tẽpore indiget, ita corpus nostrum nihil harum rerũ indigebit. Sicut & aliâs copiosius est expositũ. Quid ergo in nouo illo cœlo & noua terra fiet? Quæ erit rerũ conditio? Magis quidem dicere possumus, quæ non sit q̃ quæ sit: attamen docuit nos de ea re Paulus, uel saltem puerilíter balbutire. Deus, inquiẽs, erit OMNIA in OMNIBVS. Deus ergo erit nostrum cœlum, nostra terra, noster locus, noster cibus, noster potus, nostra uita, nostra iustícia, nostra fortitudo, nostra sapientía, nostra temperantía, nostra fœlicitas. Quid plura? Deus erit in nobis OMNIA, idq; longè excellentius ac diuinius, q̃ ulla humana ratio cogitare, & ullus humanus sermo explicare potest. A seculo, inquit Esaias, non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non uidit, Deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te. Fruantur ígitur Cingliani suis in suo cœlo locis, sessionibus & deambulationibus, quę & oculis uideri, & auribus audiri, & corde cognosci possunt: nos obediẽti fide expectabimus ea, quæ nobis temporibus suis ostẽsurus est ille beatus & solus princeps rex regnantium, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem nemo hominũ uidit, necq; uidere potest. Cui honor & imperium sempiternum, Amen. Hactenus demonstraui errorem Martyris & Bullingeri, quo

ueram

ueram & ſubſtantialem præſentiam corporis & ſangui nis Chriſti in cœna oppugnant, tanta enim animi obſti natione impetum aduerſus eam faciunt, ut malint uerè piam & à ſpiritu ſancto traditam ſententiam, de incarna tione Chriſti, de Aſſumptione humanitatis in Deum, de maieſtate diuinitatis Chriſti, de ſeſsione Chriſti ad dexterā Dei Patris, & de omnipotentia eius peruertere, ac ficticium cœlum approbare, quàm intellectum ſu um perſpicuæ ueritati uerborum cœnæ Dominicæ ca ptiuum reddere. Ac potuiſſem quidem carnalia eorum phantaſmata, quæ clariſsimæ lūci ſacræ Scripturæ, & cœleſtibus rebus inferre conantur, ſimiliter etiam ca lumnias & ſannas quibus me exceperunt copioſius ex agitare, ſed uolui rationem habere Eccleſiæ filij Dei, quæ iam non hoc quærit, quomodo Martyr, Bullinge rus & Brentius ſe inuicem mordeant, ſed quomodo hęc cauſa piè explicetur. Quod ſpero me, diuina clemen tia ſine Sophiſtica & ullius calumnia, ita præſtitiſſe, ut non dubitem ad tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, de cuius maieſtate agitur, prouocare. Videat igitur Domi nus, & iudicet inter nos & aduerſarios, ut & tot of fendicula è medio tollantur, & diſcant tan dem homines πληροφορίαν, ne quouis doctrinæ uento circum ferantur.

ABsolui, propicio Deo, primam & præcipuã huius scripti partẽ, in qua refutauimus carnalia somnia Cinglianorũ de corpore Christi, & de regno cœlesti, ac demõstrauimus Christum humanitate sua in tantam gloriam & maiestatem euectum, ut in ea nõ solum non circumscribatur loco, uerumetiam cœlum & terrã (sed suo eoq; cœlesti modo) impleat & omnia corã presens gubernet. His igit absolutis, accedemus, Deo adiuuante, ad alteram partem, quæ est de dispensatione corporis & sanguinis Christi in cœna. Etsi enim Christus ea est maiestate, ut omnia impleat, tamen corpus & sanguis eius non ubiq; sumenda & uescẽda distribuuntur. Ac licebit quidem corpore & sanguine Christi, absq; ullo alio organo, è sola prædicatione Euangelij per fidem frui: Christus autem tanta est beneuolentia & clementia erga suam Ecclesiam, ut priusq; intraret per Passionem & mortem in gloriam ac maiestatem suam, instituerit cœnam, in qua corpus & sanguis eius Sacramento panis & uini, uerè dispensarent & sumerentur. Duo igitur præcipuè sunt hominum genera, quibus cum de uera Dominicæ cœnæ ratione pugnatur. Alterum est Cinglianorum, qui etsi affirmant eos qui credunt in Christum, fieri in cœna participes beneficiorum corporis & sanguinis Christi per fidem, tamẽ negant substantiam corporis & sanguinis Christi in cœna præstò adesse, sed tantum à cœna distare, quantum supremum cœlũ à terra distat. Hos in superiori huius scripti parte copiose & euidentibus argumẽtis refutauimus. Alterum genus est Papistarum, qui docent quidem ueram præsentiã & dispensationem corporis & sanguinis Christi

in

in cœna: nõn rectè autem ſentiunt de modo, quo hæc fiunt, & adſunt præſentia. Arbitrantur enim ea non prius fieri præſentia, q̃ ſacrificulus à Pontificibus unctus, uerba Cœnæ ad panem & uinum, propoſito, ut ipſi loquuntur, conſecrandi, recitauerit, quippe quòd uirtute horum uerborum (Hoc eſt corpus meũ) fiat, ut corpus Chriſti, antea in cœlo exiſtens, & à cœna abſens, ſtatim in mòmento præſtò adſit in cœna. Hæc eſt magia, quẽadmodum aliâs demonſtrauimus. Deinde ſentiunt in tali conſecratione non remanere ſubſtantiam panis, ſed aut mutari in ſubſtantiam corporis; aut annihilari, & in locum eius ſuccedere corpus, remanentibus tantum panis accidentibus, quã uocant prodigioſo noïe Trãsſubſtantiationem. Hoc eſt humanæ rationis figmentum, quæ ſuis [illegible] Chriſti ſubijcit. Fugiamus igitur & deteſtemur hos Cinglianorum & Papiſtarum errores, & ſentiamus quòd ubicunq; eſt Chriſtus (Eſt autem tam in cœlo, quàm in terra & omnia corãn[illegible]no, tentia ſua gubernat) ibi habeat ſecum uerum ſuum corpus & ſanguinem, quippe quòd ſit uerus Deus, & uerus homo, non autem ubique corpus & ſanguinem ſuum ſumenda diſtribuat: Sed relicturus externam hanc & mundanam uitæ rationem, qua triginta tribus annis in hoc ſeculo conuerſatus fuerat, inſtituerit Cœnam, in qua cùm accumberet cum diſcipulis ſuis, accepit panem, & poſtquàm gratias egiſſet, fregit ac dixit, Accipite, Edite, Hoc meum eſt corpus, quod prò uobis tradi tur, Hoc facite in mei commemorationem. Ad eũdem modum & poculum, peracta cœna, dicens, Hoc poculum nouum Teſtamẽtum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcũq; biberitis, in mei commemorationem. Vel ut Matthęus habet; Bibite ex hoc omnes. Hic eſt. n. ſanguis

ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum. Hactenus inſtitutio cœnæ Dominicæ. Multa hîc nobis obſeruanda proponuntur. Inprimis autem diſpenſatio corporis & ſanguinis Chriſti, Sacramento panis & uini, conſideranda eſt. Non enim ſentiamus quòd priuſquàm uerba cœnæ recitantur, corpus & ſanguis Chriſti ſint abſentia. Oſtēdimus enim, quòd cum totus Chriſtus, etiamſi non celebretur cœna, præſto adſit maieſtate ſua tam in cœlo quàm in terra, ac maximè omnium in ſua Eccleſia, habeat ſecum ſemper uerum ſuum corpus & ſanguinem, ſed quòd quæ antea uerè erant præſentia, nunc per prædicationem ſeu recitationem uerborum Chriſti pane & uino diſtribuantur. Accepit (inquiunt Euangeliſtæ) Panem, Non accepit ſaxum [illegible], non pyrum, non [illegible]um, nō perſicum, non aliud quàm quam eſui [illegible]ptum uel ineptum. Quare ſicut his rebus nō diſpenſantur corpus & ſanguis Chriſti, ita recte uideri poteſt, quòd nec in ipſis ſit corpus, & ſanguis Chriſti, non quòd totus Chriſtus non omnia impleat, & coràm præſens maieſtate ſua nō gubernet, ſed quòd illæ res non definiantur uerbo Chriſti, ut in ipſis aut per ipſas corpus & ſanguis eius diſtribuantur. Accepit panem, accepit & uinum. Quid egit cum pane et uino? Benedixit, quemadmodum Marcus ait. Non eſt autem intelligēdum, quòd formauerit digitis ſuis, ſuper panem & uinum figuram crucis, ut eiſceret diabolum, & introduceret in locum eius corpus & ſanguinem ſuum, ſed uerbo benedicendi intelligenda eſt laudatio & gratiarum actio, ſicut alij Euangeliſtæ ſcribunt, Egit (inquiūt) gratias. Cui? Domino Deo Patri ſuo cœleſti. Laudauit eñ nomen Domini Dei Patris ſui, & gratias egit, quòd

tanta

tanta sit erga ipsum beneuolentia, ut suscipiat sacrificium corporis & sanguinis sui, mox in cruce peragendum, pro expiatione peccatorum totius mundi. Quare, ut Ecclesia manifestè cognosceret, beneficium huius sacrificij maximè omnium ad se pertinere, FREGIT, (postquàm gratias egisset) PANEM Frangere autem more scripturæ est diuidere seu dispensare. Frange (inquit Esaias) esurienti panem tuum, hoc est, distribue & dispensa. Christus ergo fregit Panem (hoc est) distribuit inter discipulos accumbentes & dedit eis dicens, Accipite, edite. Quid? PANEM. Quid autem est porrectus iste Panis? Additur. Hoc meum est corpus. Similiter accepit poculum ac porrexit eis & dixit: Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus, &c. Cum igitur Christus distribuit Panem & uinum in sua cœna, nõ distribuit tantum panem & uinum, sed etiam corpus & sanguinem suum, ut quicũq; acciperet hunc Panem & hoc uinum, acciperet eo ipso etiam hoc corpus, quod mox erat crucifigendum, & hunc sanguinem qui mox erat pro peccatis mundi effundẽdus. Itaq; hic Panis uerè est corpus Christi, & hoc uinum uerè est sanguis Christi, quòd in ipsis & per ipsa corpus & sanguis Christi uerè dispensentur. Nec te moueat, qui fiat, quòd cùm totus Christus habitet uerè in homine credente, accipiat tamen homo in cœna corpus & sanguinem eius. Ac profectò, nisi quis antè possideat & habeat per fidem corpus & sanguinem Christi, quàm in cœna accipiat, non fiet beneficiorum, quæ pij per corpus & sanguinem Christi assequuntur, particeps. Quid igitur noui in ea cœna accipit? Nihil certè noui accipit, si ipsam totius Christi omnia implentis substantiam consideraueris: sed si operationem Christi & reuelationem donorum eius intuea-

ris,accipit nouum donum & nouum beneficium. Su/
mamus exemplum de spiritu sancto. Hic si naturam e/
ius inspexeris,omnia implet, tam in cœlo quàm in ter/
ra. Quò ibo,inquit, à spiritu tuo,& quò à facie tua fugi/
am? Et tamen Christus cùm ex resurrectione rediret ad
suos Apostolos,insufflauit in eos, & ait: Accipite Spiri/
tum sanctum. Et in die Pentecostes missus est Apos/
lis spiritus sanctus. Et repleti sunt (inquit Lucas) omnes
spiritu sancto. Quid opus erat, ut spiritus sanctus mitte/
retur? & quomodo omnes Apostoli repleti sunt spiritu
sancto, cum spiritus sanctus antea præsens erat, & reple
bat non tam Apostolos q̃ uniuersum orbem? Hîc, si de
essentia spiritus sancti loquendum est, non mittebatur,
nec recẽs Apostolos implebat, sed erat, ut uerus ab æter
no Deus, in cœlo & in terra, & cõseruabat omnia. Si aũ
loquendum est de donis spiritus sancti, etsi spiritus san/
ctus ubicunq; est, ibi secum etiã habet dona, nõ tantum
generalia illa, quibus cõseruat omnes creaturas, & distri
buit unicuiq; quod sibi cõgruit, uerumetiam illa dona,
quæ ad æternam salutem, & ad conseruandã Ecclesiam
sunt necessaria: hæc tamẽ dona non conferuntur in quẽ/
uis, aut, ut rectius loquar, non reuelantur in quouis. Et
dicuntur de cœlo uenire, non q̃ corporali modo de cœ/
lo descendant, & illabantur in hominem, sed q̃ in homi
ne reuelantur. Non dissimiliter de Christo et corpore ac
sanguine eius sentiẽdum est. Nam si respexeris substan/
tiam & maiestatem eius, nõ solum implet cœlum & ter/
ram, uerumetiam pascit corpore & sanguine suo om/
nes in ipsum credentes, sine ulla intermissione: sed si cõ/
sideraueris institutionem Cœnæ, & peculiaria dona ei/
us, Christus tunc dicitur prẽsens esse, ac Ecclesiam suam
corpore & sanguine suo pascere, cũ porrigit ei panem
&

& uinum, dicẽdo, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, ac affert imbecilli fidei robur, & afflictæ conscientiæ consolationem. Quare etsi Christus antea uerè est unà cum corpore & sanguine suo in credẽte, tamen in Cœna porrigit ei corpus suum, pane uescendum, & sanguinem uino bibendum, ut conferat in ipsum ea dona, quæ ad fidei confirmationem & ad certitudinem de diuina clemẽtia, sunt salutaria. Sunt enim duo organa, per quæ Christus, qui accepit dona in hominibus, sua beneficia conferre, aut si ita libet, excitare, & reuelare solet. Alterum est prædicatio Euangelij, absq; externo Sacramento. Alterum eadem prædicatio, cum externo Sacramento: Euangelion, inquit Paulus, est potentia Dei ad salutem omni credenti: Et fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Cum igitur uerbum Dei, seu Euãgelion de Christo & beneficijs eius prædicatur absq; externo Sacramento, reuelantur & traduntur auditori cœlestia beneficia præsenter quidem, sed generatim & simpliciter: si autem prædicatur unà cum adiuncto Sacramento, Baptismo uidelicet, aut pane & uino cœnæ Dominicæ, reuelantur & traduntur cœlestia beneficia peculiariter: et, ut ita dicam, dupliciter: Semel uidelicet uerbo, & iterum Sacramento: ut quod uerbo generaliter promittitur & exhibetur, Sacramento peculiariter applicetur. Quare sicut in Baptismo, qui in nomine Patris, & filij & spiritus sancti dispensatur, præsens est Pater & Filius & Spiritus sanctus, ac recipit (quantum quidem ad ministerium externum attinet) eum qui baptisatur in gratiam, & regenerat eum: Vnde Baptismus rectè dicitur, & est lauacrum regenerationis: ita in Cœna, in qua panis & uinũ cum hac uoce Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus dispensantur, præsens

est Christus,& sumenti panem & uinum applicat (quã/tum quidem ad externum ministerium attinet) corpus & sanguinem suum, unde rectè panis dicitur & est cor/pus,& uinum sanguis Christi. Quid pluribus opus? uer ba ipsa Christi in Cœna, Accipite, Edite, Bibite, multo clarius & manifestius, q̃ ulla alia argumenta, demon/strant, quòd in ea fiat dispensatio non panis, nec uini tan tum, uerumetiam corporis & sanguinis Christi, idque nõ absentium, sed uerè præsentium, eo quidem modo, quo res cœlestes, in quorum catalogo cõtinentur etiam corpus & sanguis Christi, quæ nullo corporeo loco cir/cumscribuntur, præsentes esse solent. Etsi autem cor/pus & sanguis in uiuente homine non separantur, ta/men non est sentiendum, quòd corpus & sanguis Chri sti solo pane dispẽsentur, quemadmodum Papistæ som niarunt, sed quòd corpus dispensetur seorsim pane, & sanguis seorsim uino. In dispensatione enim Cœnę non hoc agitur, ut quæ in Christo natura coniuncta sunt, se/parentur: sed ut ea diuersis Sacramenti partibus repræ/sententur, & sumenda tradantur. Explodendum igitur est mendacium, quo Papistæ Laicis, ut uocant, suæ Ec/clesiæ os sublinunt, & dicunt eos tam sanguinem pane bibere, quàm uino. Ideoq; altera parte Sacramenti de/bere esse contentos.

Hactenus de dispensatione, qua Christus ipse cor/pus suum pane & sanguinem uino in Cœna distribuit. Quid ergo? Num Christus suam Cœnam ita celebra/uit, ut ipse quidem dispensauerit in ea discipulis corpus & sanguinem suum, non autem posteris ea dispensan/da commendauerit? Absit. Autoritatem quidem su/am, qua Cœnam instituit, sibi retinuit, ministerium au/tem dispensandæ Cœnæ Ecclesiæ suæ cõmendauit.

Non

Non enim ipſe tantum accepit panem & uinum, & diſtribuit ea dicens, illum eſſe corpus, hoc autem ſanguinem ſuum: uerum etiam addit, Hoc facite, inquiens, in mei commemorationem. Et explicat Paulus: Quotieſcunque, inquiens, comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec uenerit. Quibus dictis ſignificatur, quòd ſicut Chriſtus diſpenſauit in Cœna ſuum corpus & ſuum ſanguinem, ita celebrandam eſſe in Eccleſia, uſq; ad nouiſsimum huius ſeculi diem Cœnam, in qua nõ minus corpus & ſanguis Chriſti diſpenſentur pane & uino, quàm in prima Cœna factum eſt. Sacra ipſa oblatio, inquit Chryſoſtomus, ſiue illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quocunq; Sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet iſta, quàm illa minus. Cur id? Quia nõ hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam antè ſacrauerat, &c. Et iterum, Cõtemplare obſecro. Adſtat mẽſa regia, adſunt Angeli, menſæ huius miniſtri, adeſt Rex ipſe, & tu oſcitabundis adſtas, ſordidis indutus es, & tu nihil curas? Sumamus igitur corpus & ſanguinem Chriſti, in noſtra Cœna, non alia reuerentia, non alia fide, non alia obedientia, quàm ſi accubuiſſemus in prima illa Cœna, quam Chriſtus adhuc in terra corãm uiſibili præſentia celebrauit. Sed quibus diſpenſantur corpus & ſanguis CHRISTI in Cœna? Non certè aliis, q̃ iis, qui in menſa accumbunt, & ad quos hæc uerba, Accipite, edite, hoc meum eſt corpus, & bibite, hic meus eſt ſanguis, pertinent. Primum igitur, hæc uerba non pertinent ad Caiapham aut Pilatum: Neq; enim hi accubuerunt, neq; ſi interueniſſent, & rapuiſſent panem & poculum, pertinuiſſent ad eos hæc uerba, Accipite, edi-

Chryſoſt. 2. Tim. 1. Hom. 2.

Chryſoſt. ad Epheſios cap. 2. Sermo. 3.

te, bibite: Non igitur accepissent corpus Christi, nec bibissent eius sanguinem. Deinde, non pertinent his temporibus nec ad Iudæos, nec ad Turcas, quia nec ipsi quidem accumbunt, & si fortè in celebratione Cœnæ accurrerent, ac raperent panem & uinum, non tamen ederẽt corpus Christi, nec biberent sanguinem eius, quòd nihil ad ipsos uerbum Christi. Præterea uerbum Christi nihil ad mures aut muscas: Quare etiamsi illi rodant panem, & hæ sorbeant uinum, non tamen edunt corpus Christi, nec bibunt sanguinem eius. Etsi enim Christus omnia implet maiestate sua, corpus tamen & sanguis eius, non dispensantur in Cœna, ut nec Caiaphæ & Pilato, ita nec muribus & muscis. Postremò uerbum Christi non pertinet ad Sacrificulos Papisticos, qui in Missis suis somniãt, se sacrificare pro peccatis uiuorum & mortuorum. Hi enim, etsi recitant uerba Cœnæ Dominicæ, & edunt panem ac uinum, tamen nec habent, nec edunt corpus, nec bibunt sanguinem Christi, quia non celebrant Cœnam dominicam, sed Missam Papisticam. Ad ueram enim Cœnam dominicam, pertinet primũ, Commemoratio, hoc est, publica prædicatio & recitatio uerborum, quibus Christus, non solum cœnam suam instituit, & corpus pane, ac sanguinem uino dispensauit, uerumetiam mortẽ suam ac beneficia eius exposuit: Quod pro uobis, inquit, traditur, & qui pro uobis effunditur. Sacrificuli aũt Papistici, in tantum non commemorant prædicationem uerborum Christi publicè, ut etiam graui pœna à suis Pontificibus prohibeantur, ne ad aures Laicorum, ut uocant, commemorent. Deinde ad ueram Cœnam dominicã pertinet Communio, seu dispensatio panis & uini: Non enim fuisset Cœna inter Christum & Apostolos, si solus Christus edisset ac bibisset,

bibisset, esurientibus interim ac sitientibus Apostolis. Sacrificuli autem non dispensant panem & uinum in priuatis suis Missis, sed soli ipsi uescuntur & bibunt. Cū igitur non celebrent in Missis suis, ueram Cœnam Domini, manifestum est, quòd nec habeant in Missis, nec sumāt corpus & sanguinem Christi: & cùm obtrudunt Ecclesiæ suum panem pro Christo adorandum, & opus suum, ad peccata expiranda, designent horrendam Idolomaniam, & detestandam impietatem. Ad quos ergò pertinet uerbum Christi, Accipite, edite, bibite, & qui sunt illi qui in Cœna sumūt corpus Christi pane, & bibunt sanguinem eius uino? Respondeo: Pertinet ad discipulos Christi, qui in mensa accumbunt. Fuerunt ne hi omnes pij et sancti? Manifestum est quòd et Iudas Ischariotes proditor, inter ipsos accubuerit, accubuerint etiam reliqui Apostoli, qui tanta erant imbecillitate, ut & mox de primatu odiose rixarent̄, & paulò post Christum, turpissima fuga desererent, ac Petrus etiam abiuraret: Et tamen quia Christus cum ipsis colloquebatur, & porrigendo panem ac uinum dicebat, Accipite, Edite, hoc meum est corpus, Bibite, hic meus est sanguis: Idcircò negari non potest, quin & corpus & sanguinem Christi sumpserint. Iudas quidem, quia impœnitens, ad cōdemnationem, sicut & Christus ipse, odor est mortis ad mortem, impœnitētibus. Reliqui autem ad salutem, quia peccatores quidem, sed pœnitentes. Habes igitur quòd etsi totus Christus implet maiestate sua cœlum & terram, ac omnia corām gubernat, tamen non omnibus, nec ubiuis dispēsatur corpus & sanguis eius, sed tantum in uera sua Cœna, & discipulis in ea accumbentibus, siue dignis siue indignis, illis quidem ad salutem, his autem ad iudicium. Et hactenus de

dispensatione

dispensatione corporis & sanguinis Christi.

DE VSV ET FRVCTV COEnæ Dominicæ.

MArtyr in suo Dialogo percontatur, quid ad omnium rerum gubernationem & cõseruationem opus sit præsentia humanitatis Christi? Ita multi alij impij sunt, qui percontari solent, quæ sit necessitas præsentię corporis & sanguinis Christi in Cœna, et quid si nullam omnino Cœnam haberemus, num propterea nobis esset omni cœlesti salute carendum? Hoc autem non est homini, sed Deo ipsi insultare, & beneficia eius contumeliose, ac summa animi ingratitudine excipere. Etsi enim Deus potuisset, pro immensa sua maiestate humanum genus alia ratione, quàm incarnatione filij sui seruare, & omnia absque præsentia humanitatis Christi gubernare, potuisset quoque filius Dei absque institutione cœnæ Dominicæ, & dispensatione corporis & sanguinis sui, saluti Ecclesiæ consulere, tamẽ quia hæc conferendæ salutis ratio uisa est & placuit uoluntati Dei, non solum existimandum est, eam esse & sapientissimam, & congruentissimam: sed etiam agnoscẽda sunt hæc diuina beneficia gratissima mente. Consideremus igitur, quis sit usus Cœnæ Dominicæ, & quam utilitatem ex ea consequamur. Non ignoramus quidem, quòd multi indigni sumant Cœnam, qui reportant ex ea non solum nullam utilitatem, uerumetiam maximam perniciem. Quisquis ederit panem hunc, & biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, & edit ac bibit sibi iudicium: hoc autem non fit uitio Cœnæ, sed uitio indignitatis eorum, qui bonam & utilem Cœnam malè & indignè sumunt.

Exponemus

Exponemus igitur, non quid Cœna alieno uitio fiat, ſed quid officio Spiritus ſancti afferat, ſi quis ea dignè, hoc eſt, in uera pœnitentia, & ex fide Domini noſtri Ieſu Chriſti utatur. Ac primum omnium Cœna Domini non eſt muta actio, nec ocioſum ſpectaculum, ſed prædicatur in ea de morte Chriſti, quòd ſit expiatio peccatorum noſtrorum, & exhibetur nobis pane & uino, corpus illud quod eſt uita mundi, & ſanguis ille, qui emundat nos ab omni peccato. Vbi autem auditur ex fide beneficium mortis Chriſti, & ſumitur corpus & ſanguis eius, ibi fides, autore Spiritu ſancto, non uerbo tantum, ſed etiam Sacramento confirmatur & ſtabilitur. Sicut enim fides, ita & confirmatio fidei ex auditu: Auditus autem per uerbum Dei. Vbi autem fides confirmatur, ibi etiam de ęterna noſtra uita & fœlicitate certificamur & confirmamur. In tantum enim beneficijs diuinis fruimur, quantùm fidei habemus: Fiat, inquit, tibi ſecundum fidem tuam. Quare uſus cœnę Dominicæ ex fide, rectè nobis dicitur æternam uitam & fœlicitatem afferre. Vnde Chryſoſtomus: Quemadmodum (inquit) frigida acceſsio periculoſa eſt, ita nulla myſticæ illius Cœnę participatio, peſtis eſt & interitus. Ipſa namq; menſa, animæ noſtræ uis eſt, Nerui mentis, fiduciæ uinculum, fundamentum, Spes, Salus, Lux, uita noſtra, &c. Cum igitur tam magna & tam multa beneficia nobis digno uſu cœnæ Dominicæ offerantur, agite dum, non contemnamus, non frigidè accedamus, ſed pœnitentiam ueram agamus, & in fide ſumamus, ut æternam uitam & ſalutem reportemus. Deinde, in diſpenſatione poculi, Chriſtus ait: Hic eſt ſanguis meus, qui eſt noui TESTAMENTI. Aut, ut aliâs dicit: Hoc poculum nouum eſt Teſtamentum in meo ſanguine. Tribuit ſuæ

Chryſoſt. 1. Cor. 10.

ipſe Cœnæ, nomen TESTAMENTI, quod mori turi facere, & de ultima ſua uoluntate teſtari ſolent. Videamus igitur quid in Teſtamentis fiat, ut ex eo utilitatem Cœnæ Dominicæ cognoſcamus. Solenne enim eſt, ut homo uel de morte cogitans, uel morti propinquus condat Teſtamentum, in quo ſuam cuique hæredum portionem hæreditatis, aliis quoq; quibus uiſum eſt, legata aſsignet: Vnde & de Abrahamo ſcriptum eſt: Dedit Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaaco, hoc eſt, inſtituit Iſaacum in legitimum hæredem, filijs autem cõcubinarum largitus eſt munera, ſeu legata. Cùm igitur Chriſtus ex hoc mundo eſſet morte diſceſſurus, ſuſcipit & ipſe, pro more, Teſtamentum faciendum. Quid autem bonorum temporalium aut terrenorum ſuis hæredibus legaret, non habebat. Filius, inquit, hominis, non habet ubi reclinet caput ſuum: Ac tunicam quoque & reliquas ueſtium partes, paulò poſt direpturi erant milites. Sed nec uenerat in hunc mundum, ut dominaretur regio more, & diſpenſaret externa bona, nec ea quicquam nobis ad ueram & æternam ſalutem profuiſſent, etiamſi inter nos hęredes ſuos diſpenſaſſet. Fingamus quòd Chriſtus legaſſet in ſuo Teſtamento, Petro quidem regnum Hieroſolymitanum, Iacobo regnum Aegyptiacum, Bartholomæo regnum Aethiopicum, aliis autem maximam uim pecuniæ, qua poſſent pro ſuo arbitrio negociari, & magni fieri, quid, obſecro, hæc ad ueram ſalutem contuliſſent? Non fuiſſent ex his legatis, nec ſapientiores, nec iuſtiores facti: addo etiam, nec opulentiores aut ditiores. Neque enim regna, neque pecuniæ reddunt hominem ditiorem. Auaro, inquiunt, tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Quare Chriſtus conſulturus ueræ & æternæ ſa-

luti

luti ſuorum hæredum, non legauit eis in Teſtamento ſuo externa & temporalia, aut aliena bona. Quid ergo legauit? Quod habuit & proprium & precioſiſsimũm, uidelicet ſuum ipſius corpus, & ſuum ipſius ſanguinem. Non exiſtimes hæc eſſe uulgaria legata. Non potuiſſet Eccleſiæ ſuæ & præſtantiora & magis ſalutaria bona legaſſe. In corpore enim & ſanguine ſuo, quæ ad expianda peccata noſtra coram Deo Patre impendit, legauit nobis PECCATORVM REMISSIONEM. Quid autem maius, quid excellentius nobis poſſet contingere? Vbi eſt peccatorum remiſſio, ibi eſt Deus propicius, iuſtícia, uita, & æterna ſalus. Quid ergo nocere poſſet uel paupertas, uel infamia, uel ægritudo, uel mors, uel infernus? Vbi autem non eſt remiſsio peccatorum, ibi nihil profuerint uel diuitiæ, uel dominationes, uel ſanitates, uel quicquid hic mundus ſuſpicit & admiratur. Quare, cum Chriſtus legauerit Eccleſiæ in teſtamento ſuo corpus & ſanguinem ſuum, ac eo ipſo remiſsionem peccatorum, quæ per ſacrificium corporis & ſanguinis eſt impetrata, ſentiendum eſt, q̃ legauerit ei ſumma, optima, utiliſsima, & ad uerã ſalutem maximè omnium neceſſaria bona. Hæc autem eò dicuntur, ut in uſu huius Teſtamenti faciamus, quod aliâs in uſu mundanorũ teſtamẽtorum facere ſolemus. Nam ſi quis fuerit in mundano teſtamento hæres inſtitutus, & excludatur uel cohæredum, uel aliorum iniquitate à capienda hæreditatis ſuæ portione, ſtatim appellat ad literas Teſtamenti, has profert in medium, has inſpicit & expendit, has aduerſarijs obtrudit, his ſeſe ab omnibus obiectionibus tuetur, ut tandem ad capiendam partem hæreditatis admittatur. Non diſsimiliter nos in uſu Teſtamenti Chriſti geramus. Promiſſa eſt

nobis Remissio peccatorum & hæreditas æternæ uitæ propter Iesum Christum Dominum nostrum. Et in hoc confectæ sunt literæ Testamenti, quæ sunt institutio Cœnæ Dominicæ. Satan autem aduersarius noster reijcit nos à capienda hac hæreditate. Obijcit nobis multitudinem & magnitudinem nostrorum peccatorum. Dicit, Maiora & plura esse nostra peccata, quàm quæ coram Deo remittantur, ideoq; negat ad nos pertinere hæreditatem cœlestis regni. Et concedit quidem Deum esse clementem & misericordem, sed ijs, qui diligunt ipsum (ut Lex habet) & custodiunt mandata eius. Tu uerò (inquit) nec dilexisti Deum ex toto corde, nec unquàm custodijsti uel minimum mandatum eius perfectè. Quid igitur tibi de æterna salute sperandum aut expectandum? Hæc sunt ignita iacula aduersarij. Quid ergo faciendum? Proferendæ sunt literæ Testamenti, summenda est cœna Dominica, ut ex ea admoneamur, imò certificemur de nostra hæreditate, de remissione peccatorum, & uita æterna. Non neganda quidem est multitudo & magnitudo nostrorum peccatorum, sed ingenuè confitenda coram Deo. Nec illud est negandum, q̃ legem Dei nunquàm perfectè seruauerimus. Sed habemus literas Testamenti, habemus Cœnam Dominicã, in qua, cum nobis legata sint corpus & sanguis Christi, eo ipso legata est nobis remissio peccatorum & æterna uita. Quid ergo? Num Christus propter nostrorum peccatorum multitudinem & magnitudinem retractabit ueritatem sui Testamenti? Num fiet mendax, quòd ego fuerim inobediens? Nihil certè minus. Cœlum, inquit, & terra præteribunt, uerba autem mea nõ præteribunt. Consideremus igitur ex nomine Testamenti, q̃ latè pateat ũsus Cœnæ Dominicæ. Sicut autem Chri-

stus

ſtus uocauit Cœnam ſuam Teſtamentum, ita Eccleſiaſtici noſtri maiores uocarunt eam nec inepte, nec inutiliter, uiaticum. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. In hoc igitur mundo peregrinamur à Domino. Et quod ille dicit: Incola ego ſum in terra & peregrinus, ſicut omnes Patres mei, idē de nobis dicendum eſt. Peregrinorum autem mos eſt, ad aliena hoſpitia diuerti, non ut ibi perpetuò hæreant, ſed ut iſs hoſpitijs ad tempus utantur, donec iter ſuum conficiant. Ac niſi uiatico fuerint inſtructi, & ſeſe ab iſs, ad quos diuertunt, redemerint, peſsimè tractari, aliquoties etiã in uincula cõijci ſolent. Sumus & nos in his terris peregrini, ac neceſſe habemus in ea hoſpitia diuerti, in quibus Satan paterfamilias eſt & Princeps, qui hoſpites ſuos blandè quidem aliquoties excipere, ſed Tyrannicè tractare, ac niſi extremum quadrantem perſoluas, hoſtiliter opprimere ſolet. Ecce enim tibi, hîc eſt hoſpitium exilij & paupertatis, illic hoſpitiũ infamiæ, iſtic hoſpitium morborum, & cum diu peregrinatũ fuerit, tandem diuertẽdum eſt ad hoſpitium Mortis. Quòd ſi non fueris probè inſtructus uiatico, princeps huius mundi, qui eſt Satã, nunquàm dimittet te illæſum. Habet enim in omnibus his hoſpitijs ſuum ius, & ſuam dominationem, idq; propter peccatũ, quo factus eſt non tam Princeps, quàm Deus, ut Paulus ait, huius ſeculi. Quare cum diuerteris in hoſpitium paupertatis, exigit ius ſuum, quod habet propter peccatum, & cogitat te in paupertate perdere. Ac niſi redemeris te uiatico, omnino eſt tibi pereundum. Cum diuerteris in hoſpitium morborum, exigit ius ſuum, quod habet propter peccatum, & niſi numeres, minatur tibi exitium. Ad extremum cum diuerteris ad hoſpitiũ mortis, ibi tum, ſicut excipit te cru-

deliſsimè, ita tractat te immani tyranníde, propter peccatum, ut niſi de tuo uiatico numeres, nunquam ſit te dimiſſurus, donec te in æternum barathrum conijciat. Quod ergo eſt uiaticum illud, quo poſſumus nos à tanto exitio redimere? Scimus quidem Chriſtum ipſum eſſe ἀντίλυτρον, hoc eſt, precium redemptionis noſtræ: ſed quia ſe nobis ipſe unà cum corpore & ſanguine ſuo in cœna ſumendum tradidit, idcirco rectè dictum eſt, Cœnam Dominicam eſſe uiaticum, quo nos in peregrinatione noſtra, ab inſultatione latronum, & à tyranníde Satanæ redimamus. Si enim Satan ſiue in hoſpitio paupertatis, ſiue in hoſpitio morborum ac mortis exigit à nobis ius ſuum, quod habet in nos propter peccatum, & minatur nobis æternam internecionem, habemus cœnam Dominicã, in qua corpus & ſanguis Chriſti, quæ ſunt precium redemptionis noſtræ, pane & uino ſumenda proponuntur. Hac igitur in fide ſumpta, & Satanæ obiecta, tantum abeſt, ut poſsit nos Satan in exitio detinere, ut neceſſe habeat ſe ipſe in perpetuum exitium proripere, ac nobis liberrimam ad cœleſtem patriam profectionem permittere. Nam cum in cœna paſcamur carne & ſanguine Chriſti, qui & mortem uicit, & à mortuis reſurrexit, ac æterna beatitudine fruitur: fieri non poteſt, quin & nos in ipſo mortem uincamus, & deuicta morte, ſempiternam fœlicitatem aſſequamur. Quare, ſicut afflicti in hac uita, cœna Dominica, ad capiendam in omnibus aduerſis conſolationem & uitam, uti debent: ita crudelitatis genus eſt, morituros ab uſu cœnæ Domini deterrere, & eos tam utili, in periculoſiſſima ſua peregrinatione, uiatico priuare. Poſtremò eſt & cœna Dominica mutuæ charitatis ſymbolum, quo excitamur, ut quemadmodũ una caro, & unus ſanguis

cum

cum Christo efficimur: ita nos inuicem, ut unius corporis membra mutuo amore complectamur. Sed de usu cœnæ Dominicæ nõ libet longiorem declamationem instituere: uolui autem hæc pauca, quæ aliâs copiosius explicata sunt, de dispẽsatione cœnæ & usu eius, ijs, quæ de uera præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, dicta sunt, adijcere: ut etiã hac in parte significemus, nos nullo planè contentionis studio suscepisse ueram corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna tuendam: sed nos hoc officium tam Christo filio Dei, q̃ ecclesiæ eius debere, ut & Maiestatem Christi (quod in nobis est) inuiolatam & illustratã conseruemus, & uerum usum cœnæ Dominicę retineamus. Non dubito, quin, quod est Cinglianorum ingenium, satis habeant conuiciorum & calumniarum, quibus hæc nostra pia scripta proscindant, & suam impietatem defendere studeant: sed quod ad me attinet, etiamsi scriptis suis inhumaniter me tractauerint, tamen illud officium eorum mihi gratissimum est, quòd his scriptis suis publicum de me testimonium ferant, me à dogmate eorum peius cane & angue abhorrere, ac planè nõ esse Cinglianum. Non damno Ecclesias eorum, quippe quòd Deus tãta sit clementia, ut etiam in media Baalitarum doctrina reseruet sibi sua septẽ millia uiroꝝ, qui nõ curuãt genua sua ante Baal; sed damno pernicioſum ipsorum dogma: & si in errore ipsi perrexerint, dolemus quidem ex animo: sed interea non est nobis nostrum officium deserendum, et oramus Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nos Spiritu sancto suo in cognitione & professione ueræ piæ doctrinæ conseruet, & gregem Ecclesiæ suæ à faucibus luporum clementer eripiat.

ALPHAEVS VALESIANVS
Henrico Bullingero S.

LEgi librum tuum, doctiſsime Bullingere, quem contra D. Brentium De cœlo, De dextra Dei, Aſcenſu Chriſti in cœlum, & Sacramento corporis & ſanguinis eius in cœna edidiſti. In quo uidi non modò D. Brentium, & qui cum ipſo faciunt, uerùm & me quoq; admodum inclementer excipi. Quod igitur ad me attinet, cui uideo te plurimum ſuccenſere, dum me in ἀλφικτεῖον, hoc eſt in piſtrinum, ubi mancipia cruciabantur, conijciendum & damnandum cenſes, q Scholaſticorum quorundam de cœlo Empyreo nugas ad finem Brentiani libelli recitauerim, ſcias, me id tibi ex animo cõdonare. Etſi enim ipſe quoq; in etymo cognominis tui, Bullingere, ludere potuiſſem, in preſentia tamen mihi omnino abſtinendum duxi. Ac tantum abeſt, ut par pari rependere cupiam, quin me etiam paratum eſſe ſcias, ſi hoc modo pia pax & ſalutaris cõcordia Eccleſiæ Chriſti reſtitui poſſet, meiudicium hoc quantumuis graue, aut ſi quid etiam maius eſſet, non recuſaturum. Subinde enim magis magisq; perſpicio, quantum hoc Sacramentarium diſsidium Euangelicę doctrinę curſum

curſum impediat. Sed uiciſsim uellem te quoq; pro tua eruditione, cogitare, nos in hoc ſacroſancto myſterio minimè ludere. Et quod περὶ ἁρπάγματος inter cœlum empyreum & terram, & mola cœlitùs in terram demittenda ex ſententia ſophiſtarum annotaui, non hoc animo factum putes, quo tu interpretaris: uerùm hoc ſolum me ſpectaſſe, ne maieſtati Chriſti ad dextram Dei Patris ſedentis, aliquid affingamus cœleſti eius gloria indignum, quod à ſcholaſticis factum eſſe demonſtraui. Qui has choreas confinxerunt, & Ariſtotelicum uix tranſcendêre cœlum, hoc eſt, de æterna beatitudine non niſi terrena, hoc eſt, ſtulta, cogitare potuerunt. Sed ecce tibi nunc Brentium, cuius caniciem cùm uellicares (ſit uerbo uenia) paulo petulantius, num putas ei ingenium defuiſſe, quo dicteria tua, ne quid grauius dicam, pari ratione excipere potuiſſet? de quo etiam, ſi maximè factum fuiſſet, omnes pij & æqui lectores candidè iudicaſſent. Verùm ipſe uocationis ſuæ memor, pro natura, pietate, & grauitate ſua, præſentiumq; temporum ratione, quibus uides hoſtes doctrinæ cœleſtis in omnes occaſiones intentos eſſe & uigilare, maluit Eccleſiæ ueſtræq; ſalutis rationem habere, quàm humano ingenio, quod

nobiſcum naſcitur, indulgere, & aliquid acerbius in uos ſcribere: ut uniuerſa Chriſti Eccleſia intelligat, ſibi cum dogmate fuiſſe certamen à ſcriptura ſacra alieno, cuius autores & propugnatores etiam ſaluos optauit, modò ueritati cœleſtis doctrinæ cederent. Te igitᵉ Bullingere per uiſcera miſericordiæ Dei rogo & obteſtor, ne quid affectibus dare uelis, aut opinioni, quam penitus imbibiſſe uideris. Ego.n. de te in uiam reuocãdo non prorſus animum deſpondi, ꝙ toties in nouiſsimo libello tuo à D. Brentio pleniorem explicationem in quibuſdam deſideras: quod animi eſt in ſententia ſua non per omnia confirmati, non tamen obſtinati, ſed doceri cupientis argumentum. Id quod te ex animo facere ſpero. Si igitᵉ quod opto & precor, animo candido & ſincero, ſemotis humanis affectibus (alioquin peſsimis conſultoribus) hoc Brentij reſponſum perlegeris, & diligenter expenderis, uidebis quàm tuæ ſaluti & ueritati cognoſcendæ & aperiendæ non uoluerit deeſſe, uir de repub. Chriſtiana optimè meritus. Ac principiò conſideres uelim, D. Brentiũ cum his, quos habet in hac parte doctrinæ cœleſtis ὁμοψήφους, nullam prorſus naturæ humanæ in Chriſto facere diffuſionem, qua per corporeas dimenſio

nes

nes longum, latum & altum fiat: quo nomine tra ducti ſunt odioſo admodũ Vbiquiſtarũ cognomento. Quod cùm certum ſit, & omnibus pijs, quotquot Brentij ſcripta legerunt, notum, quid nobis dicendum aut faciẽdum cenſes, cùm pius lector talia ſcriptis ueſtris inſerta deprehendat, D. Brentio & collegis eius minus candidè imputata? Quis.n. uel ſaltem rationis beneficio præditus, non horreat craſſam hanc Theologiam, quæ nos Chriſti faceret, aut naturæ humanæ manifeſtos abnegatores, Marcionitas, Eutychianos, aut carnis eius Capernaiticos deuoratores? ſic.n. de nobis loquunt quidam & ſcribunt, cp ueram carnis Chriſti in cœna præſentiam affirmamus: horum ſcias nihil quicquam nobis in mentem uenit unquàm: neq; quiſquam nos tam craſſos philoſophos exiſtimet. Sed quid quæſo aliud agit Petrus Martyr in ſuo dialogo, quàm ut ſcriptis Patrũ, & ſcripturę ſacrę teſtimonijs doceat, corpus Chriſti non extendi & diffundi in omnia loca. Sed quis quęſo hoc dixit? quis ſcripſit? quis ſenſit? quis credidit unquã? ne ſcholaſtici quidẽ, aliâs ſatis inepti in præſentia materia diſputatores. Cũ igit quod ſemper iam inde ab initio exorti huius certaminis docuimus, ingenuè fateamur, nos firmiter cre

dere & asserere, corpus Christi non extendi aut diffundi in omnia supera & infera loca, an non uidemur, christiane lector, uno uerbo ad Petri Martyris prolixum dialogum respondisse, & eum refutasse? hoc est, reipsa demonstrasse, q̃ nobis nostrisq̃; Ecclesijs affinxerit opinionem, quę cũ scriptura Prophetica & Apostolica & dictis Patrum pugnet? Si dicamus id errore & ignorantia factum Martyris, metuendum est, ne & hoc minus benignè sit accepturus. Si uerò studio factum affirmauerimus, crimen erit non leue. Verum utcunq; habeat, hoc modò sciatis, nos corpus Christi neq; extendere neq; diffundere in omnia loca: quod uelim candidus lector diligenter meminerit & expendat. At dices, nos quidem hæc absurda negare uerbis, reipsa uerò incurrere, & defendere talem sententiam, ex qua hæc necessariò sequuntur: ueram scilicet præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna. Hic uellem mi Bullingere diligenter consideres, & apud animum tuum expenderes, num credas ita abbreuiatam & infirmatam manũ Dei, ut non possit modum inuenire & rationem, qua homo ille, quem λόγος in unitatem personæ assumpsit, ubiq; omnibus rebus prę̃sens sit, & res omnes prę̃sens administra

re

re posit? cuius pedibus Deus omnia subiecit? Sed ais, per spiritum Christi hoc fieri. Per quem quæso spiritum? num eum qui tertia in Trinitate Deitatis est persona? Sed hac ratione & sanctos Dei Christos dices, qui à spiritu sancto implentur οὐσιωδῶς, neque tamen mundum administrabũt, sicut hic Brentij libellus te piè & copiosè docebit. Quid ergo, quod ad mundi administrationẽ attinet, Christo propter personalem unionẽ duarum naturarũ amplius quàm sanctis tribues? Vellem autem in hac de dextra Dei disputatione Ioannem Caluinum audires: qui etsi per omnia nobiscũ non faciat, hanc tamen quam tu de dextra Dei opinionem profiteris, constanter refutat. Is enim in locum Apostoli ad Ephes. cap. j. (Sedere eum fecit in dextra) ad hunc modum scribit. Hic locus, inquit, apertè ostendit, si quis alius, quid significet Dextra Dei, Non locũ scilicet aliquem, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, ut eius nomine cœlum & terram administret: neq; enim hoc ad corporis collocationem pertinet, sed summam regnandi autoritatem exprimit, qua præditus est Christus. Hoc sonant Pauli uerba: Super omnem principatũ &c. Nam totum hoc complexum exegeticè adiectum est,

ad exprimendam Dextræ ſignificationem. Dicitur ego Deus pater Chriſtū extuliſſe ad dextram ſuam, quia Conſortem ipſum imperij ſui fecerit, quia per Ipſum omnem ſuam poteſtatem exerceat, ſimilitudine à terrenis principibus ſumpta, qui ſuos præfectos aſsidere ſibi iubent honoris cauſa. Quum autem dextera Dei cœlum & terram impleat, ſequitur regnum Chriſti ubique diffuſum eſſe, atque etiam uirtutem. Vnde perperam faciunt, qui ex ſeſsione ad dexteram Dei conantur probare, Chriſtum non niſi in cœlo eſſe. Eſt quidem id ueriſsimum, inquit, in cœlo eſſe Chriſti humanitatem, non in terra (quæ uerba Caluini ego intelligo perinde, ac ſi diceret corpus Chriſti non diffundi aut extendi, ſed etiam in gloria, quod ad eſſentiam attinet, manere finitam creaturam, & terreno modo, hoc eſt, ſenſibili eſſe in terra) Sed probatio illa, inquit, non conuenit. Hactenus Caluinus. Hæc uerba ideo producere uolui, non quòd ignorem quam ſententiam de Cœna profiteatur, uerùm ut intelligas eum quoque per dexteram Dei non intelligere certum aliquem locum in cœlo empyreo, quod tu ſine omni ſcripturæ ſacræ & patrum teſtimonio affirmas: & ſimul alij quoque intelligant,

gant, quantum uel animis uel ſententijs diſſentiamus. Corpus enim Chriſti ſubſtantia finitum aſſerimus in cœlo, ubi non erit phyſicus locus, ſicut aliàs copioſe demonſtratum eſt. Affers quidem locum ex Matthæi cap. uigeſimo quinto, de ouibus ad dexteram Chriſti in nouiſsimo die collocandis, ſed quid hoc ad inſtitutum? Non enim de dextera filij hominis eſt quæſtio, ſed de dextera Dei Patris, ad quam filius hominis collocatus eſt. Chriſtus autem loquitur de dextera filij hominis, qui apparebit in nubibus: non de dextera Dei patris, quæ inuiſibilis & infinita eſt potentia Dei, ad quam filius hominis ſedet, omnia ſupera & infera cœleſti modo præſens gubernat & adminiſtrat.

Cùm igitur luce meridiana clarius ſit, dexteram Dei non locum aliquem ſignificare, ſed ſummam maieſtatem Dei, omnibus rebus præſentem, & res omnes gubernantem & adminiſtrantem, & Chriſtum hominem collocatum ad dexteram Dei, non filium Dei (ipſe enim filius ſiue λόγος, eſt dextera Dei, omnipotens inquam uerbum eius, per quod Deus pater omnia condidit, omnia conſeruat) & ad dexteram Dei collocatum eſſe, eſt λόγῳ perſonaliter uniri, & imperij

conſor-

consortem facere, & maiestatis: non modò, ut hac diuina maiestate, quam sine mensura participat, fruatur, id quod cum Christo omnes sancti commune habent: sed est hoc modo in societatem maiestatis assumi, ut ipsa quoque humanitas, hoc est, homo Christus, siue, ut magis aperte loquar, Christus etiam secundum humanitatem suam, alio tamen modo, quàm diuinitas, omnia supera & infera administret præsens, modo uidelicet cœlesti, & rationi humanæ imperuestigabili. Ideoq; necesse habes, aut hãc maiestatem Christi hominis negare, qua & ipse propter hãc ad dexteram Dei sessionem non localem aliquam, sed maiestatis communicationem, omnibus creaturis est præsens: aut libenter nobiscum fateberis, eum etiam ubiq; esse, & in cœna corpus & sanguinem suum uescentibus distribuere. Neque est, quod ad spiritum hic confugias, qui adsit cum pane & uino cœnæ. Corporis, non spiritus sui mentionem facit Christus, dum panem distribuit, Ideoq; non sola spiritus Christi maiestas est, sed & maiestas humanitatis Christi, quę facit ut corpus eius uerè adsit in cœna, & distribuatur: alio tamen, ut dixi, modo quàm diuinitas siue spiritus Christi, & substantia corporis non aboleatur, &

natura

natura humana etiam in gloria maneat creatura. Nihilominus tamen tanta est humanitatis Christi maiestas, qua ubique locorum adest cum spiritu, hoc est, diuinitate, omnia uidet, omnia audit, & per ipsum (humanitatem, Ecce gloriam & maiestatem inenarrabilem humanitatis eius) diuinitas, omnia administrat. Hoc, inquam, mysterium est à seculis absconditum, quod nulla ratio, nullus sensus humanus comprehendere potest. Hęc uellem te mi Bullingere diligenter expendere, sic fieret, ut non modò crederes, imò uideas non modo panis & uini distributionem, cum spiritu Christi, hoc est, diuinitate eius omnia implente, absente humanitate eius coniunctam, sed maiestatem quoq; carnis Christi adorandam cognoscere, quæ nullo locorum interuallo à spiritu eius separatur, sed ubicunq; diuinitas est, eam quoque modo cœlesti, & naturæ humanæ incomprehensibili secum præsentem habet. Cuius substantia pascimur in cœna, non ea ratione qua in cruce pro nobis passus est, sed eo modo, quo in cœna sua maiestate etiam humanitatis suæ præsens est, & suo corpore & sanguine, quæ hîc distribuũtur nos uerè nutrit, & in uitam æternam alit: spiritum nostrum reficiens, & corpora nostra ad spem re-

ſurrectionis & immortalitatis conſecrans.

Vides mi Bullingere, quàm candidè, quàm apertè tecum agatur, patiamur quæſo nos non ab hominibus, hoc eſt, ratione humana, ſed ſpiritu Dei de tantis myſterijs doceri, ubi minus periculi habet pia ſimplicitas, quàm acuminis humani ingenij curioſitas. Abijciamus quas ratio humana nobis ſuggerit de hac cœleſti & ineffabili maieſtate Chriſti hominis ſiue humanitatis eius carnales cogitationes. Verbum Chriſti ſit dux noſter, quòd in cœna Domini, non modò panis & uini κοινωνίαν, ſed ueram etiam corporis & ſanguinis Chriſti, maieſtate humanitatis ſuæ quoq; præſentis communicationem, quæ non contactu in noſtra corpora agant, ſed cœleſti modo ui tam per fidem in nobis inchoatam confirment & foueant, indignos autem corripiant & caſtigent. Quæ fiunt non conſideratione aut cogitatione noſtra de ipſius corpore abſente, ſed ipſum Chriſti corpus uerè in pijs agat, quemadmodum & ſpiritus ad uiuificationem, alio tamen, ut dixi, & diuerſo modo.

Vides etiam mi Bullingere, quàm non abhorreamus à pia concordia, & quàm de ea facienda non prorſus deſperauerimus. Ratio compendia-

ria

ria eſt, & expeditiſsima. Date quæſo gloriam filio Dei & omnipotentiæ & ueritatis, quid habebit caro, quod reſponſet? Quod ut uel tandem fiat, te Ieſu Chriſte, fili Dei & hominis, per paſsionem & mortem, per uiſcera miſericordiæ tuæ, te oro, & animos docentium ad amorem ueritatis doctrinæ cœleſtis & incorruptæ, & concordiæ flectas. Quot annis, quęſo, durauit inter Cornelium Romanum & Cyprianum Carthag. totius Africę & Italiæ Epiſcopos de baptizatis ab hæreticis, rebaptizandis uel non rebaptizandis, certamen, ubi, meo iudicio, non minus periculi fuiſſe uidet, quàm in hac de cœna Dominica diſſenſione, donec tandem utriſque defunctis, & argumentis utrinq; probè examinatis, pars quæ Cypriano adhæſerat, utcunq; ſibi argumentis munita uidebatur, ueritati cederet, & Eccleſia Dei, quid credendum eſſet & faciendum, rectè inſtituta eſt.

Vtinam uerò hunc diem aſpicere liceret, quo utriuſq; partis argumentis diligenter diſcuſsis, remotis omnibus prauis affectibus, de ueritate unanimiter pronunciaret, ex Eccleſia Dei omnis error tollatur, paſsim & ubiq; locorũ quàm latè Chriſtianiſmus patet, omnes rectè de tanto myſterio erudirentur. Hoc multorũ pia uota deſide

rant,flagitant, hoc ſperant,hoc expectant: cui ſinguli pro uirili noſtra,& quiſq; pro uocationis ſuę ratione deeſſe non debet. Cogitaui ipſe ſæpenumero,præſtare, ut animis iam propemodum utrinq; defatigatis, à ſcriptione temperaretur. Video autem ſingulari conſilio Dei diuerſum fieri. Et accidit, quod apud Eſaiam ſcriptum legimus: Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt uiæ meę à uijs ueſtris,& cogitationes meæ à cogitationibus ueſtris. Non quidem ab initio ſemper conſiliorum Dei nobis conſtat ratio, ſed tamen ſuo tempore reuelantur. De hoc uerò certamine, ut dicam quod ſentio, fortaſſe Dominus permiſit, quum aliud Noui teſtamenti & Euangelicæ doctrinę caput, aut cultus diuini pars alia maioribus tenebris, erroribus, idolomania inuoluta non fuerit, quàm cœna Domini, uoluit Dominus omnia eius probè examinari,&ad uiuum reſecari, donec ueritas eximis & denſiſsimis tenebris eruta, manifeſta fieret. Id quod nũc uel tandem factum confidimus. Spero enim hoc Brentij libro lecto & diligenter examinato, omnes uerè pios intelle cturos, nos ueram carnis Chriſti præſentiam in cœna Domini aſſerentes, nihil craſſum aut carnale Chriſti corpori, ſecundum rationem huius ſeculi

culi affingere, quod uel naturam eius aboleat, uel cum maiestate ipsius pugnet, adeoq; nullum nouum in Ecclesiam Dei introducere dogma, sed ueritatem cœlestis doctrinæ tueri, maiestatem hominis Christi asserere, & thesaurum Ecclesię in cœna Domini non adumbratum modò, sed donatum & exhibitum custodire. Spero etiam fore, ut hoc scripto multorum animi in uera, quam hactenus professi sunt, sententia confirmentur. Et ex his, qui hactenus sibi & humanis rationibus indulserunt, eas abiecturos, & intellectum suum, iuxta doctrinam Apostoli, captiuum tradituros, in obsequium Christi: dum uident, humanas de alterius seculi conditione rationes consistere non posse, sed cum maiestate hominis Christi ex diametro pugnare.

Ego quidem ingenuè & grato animo fateor, lectione huius scripti me non parum in sententia confirmatũ, quam Ecclesiæ Dei ministerio meo iam aliquot annis tradidi. Idem alios quoq; testificaturos minimè dubito. Atq; persuasissimum habeo, si maximè decem mille miliaria eminus Christum cum corpore suo uiderem, quemadmodum ipsum uisuri sumus in nouiss. die, uenientem in nubibus, &c. uerbo tamen ipsius obe-

diens,& fidem habens,quo præcepit in cœna ſua manducare & bibere, & promittit ſe dare nobis corpus ſuum & ſanguinem,nihil prorſus dubitarem,hoc ipſum corpus me manducare,quod eminus aſpicerem.Locus enim ſicut in prima cœna,ubi unus diſcipulorum Chriſti propior fuit altero,nihil impediuit ueram diſtributionem corporis & ſanguinis ſui. Maieſtate.n.non ad menſuram participata hoc præſtitit,quod naturæ corporis defuit:idem nunc quoq; in eccleſia ſua & poſſe & præſtare certum eſt. Vbi de phyſica locatione corporum ſpiritualium, qualia Paulus reſurrectura teſtatur, nihil ſomniandum eſt, poſtquàm depoſita omni humanæ naturæ imbecillitate, in forma ſerui aſſumpta, ad ſummam maieſtatem Dei eſt euectus, omnia gubernans & adminiſtrans,uereq; quod promiſit implens.

Hęc maieſtatis Chriſti conſideratio facit nobis hunc de cœna Domini articulum apertum & facilē,& omnes abſurditates tollit,& curioſas quæſtiones de uirtute cōſecrationis,de hoſtijs (ut uocant)in uſu cœnæ Domini remanentibus,de duratione præſentię Chriſti cum pane cœnę,& ſimilia,quę omnes hinc potiſsimū exortę ſunt,q; maieſtas hominis Chriſti ad dexteram Dei nō rectè

conſiderata

cõsiderata fuit. Quid.n. his opus est, rectè de maie state hominis Christi ad dextrã Dei sedentis sentienti? & qui intelligit non modò, quomodo homo Christus per diuinitatem omnia possit, uerumetiam quomodo Deus per humanitatem in unitatem personæ assumptam, omnia administret: mysteriũ sanè maximũ, quod humani ingenij modũ excedit, uidelicet: Humanę naturę in Christo, omnia supera & infera, hoc est, oẽs creaturas subiectas esse, & per ipsum siue ab ipso gubernari. Qui igit̃ iuxta fidei nostrę articulũ per hominem omnia in cœlo & in terra administrat, & cui datũ est nomen super omne nomẽ, qui positus est super oẽm principatũ, qui igit̃ tu, quæso, qui uel quęreres uel dubitares, quomodo idẽ tibi suũ corpus & sanguinẽ dare possit in cœna? Ah mi Bullingere, hic subsistamus, hanc maiestatem adoremus potius q̃ scrutemur, ne eũ parem faciamus angelis aut hominib. sanctis, hoc est, uerum Deum esse negemus. Vita nostra in Christo non modò est diuinitas, sed & humanitas eius, quę & ipsa facta uiuifica. Reliqua mittamus, & eius considerationem in alterum seculum reijciamus.

Habes mi Bullingere, ut ego quidẽ arbirror, respõsum minimè hostile, sed quod profectũ est ab animo salutis tuæ tuorum q̃ cupidissimo. Dñs Deus pater Domini nostri Iesu Christi unà cũ spiritu sancto, largiatur nobis, ut in ipso unũ simus, idẽ sentiamus & ad utilitatẽ catholicæ & uerè orthodoxę ecclesię idẽ loquamur. Vale.

ΥΠΕΡΑΣΠΙΣΤΗΣ ΤΩΝ ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ IOANNIS BRENTII, IN APOLOGIam Confessionis Ill. Ducis Vuirtenbergensis,

contra Mendacia & Calumnias Mathiæ Bredenbachij Grammatici Embricensis, Autore

IACOBO ANDREAE, PASTORE Ecclesiæ Göppingensis.

Ad candidum lectorem Thomas Naogeorgus.

PVgnando contra Christum Verbumq; salutis,
Atq; tuendo Papam & dogmata uana lupi,
Omnes (ut cernis) iam defecere sophistæ,
Seq; negant summi uincere posse duces.
Nam superat Christus totum uolitatq; per orbem,
Atq; Papæ regnum ac dogmata falsa ruunt.
Qui tamen oppugnet Christum, uerisq; resistat,
Interitumq; Papæ fulciat usq; sui,
Prodijt in scenam ludo delirus ab ipso
Hoc nunc postremo tempore Grammaticus.
O fælix nimium tanto hoc tutore Papatus,
Plaudite sacrifici, perdita turba, greges.
Namq; impendentis discrimina nulla ruinæ
Nunc restant, sic iste omnia fulcit Atlas.
Fulminat in sanam doctrinam ipsosq; docentes,
Atq; Papistarum tollit ad astra caput.
Sed quàm blasphemè, quàm praue, quamq; superbè
Se gerat, & quantis nosq; suosq; notet,
Porrò suos ueris, at nos mendacibus, iste
Singula monstrabit, lector amice, liber.

FRANCOFORTI ANNO 1558.

IOANNES BRENTIVS PETRO Brubacchio compatri suo in Christo amicis. S. D.

GRatum mihi, ac spero Ecclesiæ quoq;, officium fecit D. Iacobus Andreæ, quòd susceperit libellũ, quem Embricensis Grammaticus aduersus mea Prolegomena scripsit, refutandum. Et si enim ego iudicabam hominis stulticiam ac insaniam Elleboro potius purgandam, quàm scripto exagitandam esse, tamen cùm nouas & prodigiosas blasphemias orbi obtruderet, uisum est amicis, operæ precium esse, si scriptum aliquod extaret, in quo horribiles illæ blasphemiæ refellerentur & coarguerentur. Audet furiosus homo uociferari, sententiam Hannæ, Caiaphæ, & reliquorum pontificum aduersus filium Dei fuisse iustam, & iudicij ueritatem, ut tueatur etiam suorum pontificum autoritatem, & doceat eum morte dignum, qui doctrinam pontificum, quamuis impijssimam non agnoscat. Fatetur quidem Iudaicos pontifices peccasse odio & liuore, et appellat ad iusticiam Dei ac prædestinationem eius. quis autem sceleratissimos quosq; latrones aut parricidas non hoc modo defendere posset? Scilicet, nisi accessisset odium, nihil peccassent in filium Dei impij pontifices. Et Pilatus innocens est, quòd nullo odio pronunciauerit aduersus filium Dei mortis sententiam. Stephanus autem peccauit, quòd sermone suo restiterit sententiæ Synedrij, & accusauerit Pontifices proditionis ac homicidij. Hæc, si insanus homo ante exortam Euangelij lucem, inter suos seriò uulgasset, non uno tantum anathemate fuisset conculcatus & protritus. Nunc quia scribit ad tuendam autoritatem Pontificum aduersus eos, qui cupiunt eam ad autoritatem uerbi Dei reuocare, omnia sunt bella, lepida, uenusta, concinna, & ambabus ulnis amplectenda. Sed hæc Domino curæ erunt. Ne autem nos interea officio nostro defuisse uideamur, mitto ad te Refutationem D. Iacobi Andreæ, ut tu eam typis tuis cum ecclesia communices. Non enim dubito, quin filio Dei, cuius gloriæ illustrandæ hoc scriptum seruit, tua opera grata sit futura. Benè ac fœliciter Vale.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ac Domino, Domino Guilhelmo, Cliuiæ, Iuliæ ac Mõtium Duci, Comiti Marchiæ, ac Rauenſpurgi, Domino in Rauenſtein &c. Principi ſuo clementiſsimo.

T nominis, uirtutumque tuarum ſplendor, princeps illuſtriſsime, & ueritatis amor effecerunt, ut ad maledicum et blaſphemum libellum Grammatici cuiuſdam Embricenſis reſpondeam, quem una cum Apologia, ſub nominis tui auſpicio non eſt ueritus in lucem edere. Cùm enim ſingulares tuæ & Chriſtiano principe dignæ uirtutes omnibus notæ eſſent, non mirabar ſolum, ſed ex animo dolebã quoq; eò impudentiæ potuiſſe progredi hominem, qui ad impietatem ſuam aſſerendam, tui nominis authoritate abuti auderet.

Grammaticus eſt profeſſione, quod genus hominum iam inde ab initio infeliciter res ſacras tractauit. Cum Appione luctatus eſt Ioſephus, cũ Creſconio Auguſtinus. Nobis cur ſit negocium cum Embricenſi grammatico, Ill. Celſ. Tua intelliget, poſtq; breuem Catalogum errorum & blaſphemiarum eius recitauero. Nolo enim hic commemorare, quàm inhumaniter & crudeliter tractet D. Ioannem Brentium de Repub. Chriſtiana non male, ut ego quidem exiſtimo, meritũ. Cùm enim ipſi Chriſto non pepercerit, ut Ro. Pontificis authoritatẽ ſeu po-

tius Tyrannidem assereret, quid mirum, si in eius fideles ministros sit iniquus & contumelioſus censor.

Caput blaſphemiarum est, quod scribit: Phariſæorũ & ſummorum pontificum iudicium aduersus Christum, fuisse iustum, legi ac uoluntati diuinæ consentaneum, & quòd iudicauerint iudicij ueritatem, cum dicerent: blaſphemauit Deum, & reus est mortis. Dementiam esse ait: putare, Christum ita satisfeciſſe pro peccatis noſtris, ut nulla præterea opus sit satisfactione. Eosq; qui sic sentiunt, sensum communem pariter cum ratione amisisse. Qua censura & prophetæ & Apoſtoli unà cum Christo tanq; dementes notantur, qui penitus ignorarunt aliam, aliam inquam, satisfactionem pro peccatis totius mundi, q; obedientiam ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hanc inquam doctrinam, audet impudens os impium dogma, & abominandum Idolum appellare.

Communionẽ corporis et ſanguinis Chriſti ſub utraque ſpecie, ut loquũtur, ab ipſo Chriſto fatetur et esse inſtitutam, & in primitiua Eccleſia uſurpatam, nihilominus tamen esse multis modis incommodam.

Credere in Deum patrẽ, idem sit, quod credere: Deum ſanctis eam poteſtatem dediſſe, ut opitulari queant, omnibus ſuis cultoribus, paſſim in orbe diſperſis.

Credere in Chriſtũ, nihil aliud sit, quã credere: Chriſtum hanc dignitatem ſanctis ſua obedientia impetraſſe.

Credere in ſpiritum ſanctũ, idem esse, quod credere: Papam cum cardinalibus & ſacrificulis habere ſpiritum ſanctum

ſanctum: & habere quoq; poteſtatem, condendi nouos articulos fidei

Sanctos inuocare, perinde eſſe, ac ipſum Chriſtũ inuocare, iuxta illud: πάντα τὰ τῶν φίλων κοινά. hoc eſt, amicorum communia ſunt omnia. Et Chriſtus: Quicquid uni ex minimis meorum feciſtis, mihi feciſtis.

Qui ſanctorum afflictionibus adimat meritũ, eundẽ quoq; paſſioni & morti Chriſti adimere meritum, quia, Amicorum communia ſunt omnia.

Principes & Magiſtratus pariter cum ſubditis in omnibus, quæ in religionis & æternæ ſalutis negocio credenda & facienda proponunt, debere ſacrificulis obedientiam, impudenter affirmat. Et Deo præſtari inobedientiam, ab his, qui diuerſum agant. Vtcunq; enim uel uiuãt, uel doceant, Dei tamen fieri uoluntatem. Quid ſi, inquit Grammaticus, Deus uelit noſtrã ingratitudinẽ punire, & iuſto iudicio immitteret tales Doctores? Hos audiendo, non hominibus ſed Deo obedimus, qui per illos ingratitudinem noſtram punit. Quid magis abſurdum et contumelioſum in Deum ipſum dici poſſet? Mens enim Grammatici eſt: Si Deus uelit Celſ. Tuæ ſubditos peruerſis, et ut ipſe appellat, ſceleratis doctoribus punire, Celſ. Tuæ officium non eſſe, huic Dei iudicio ſeſe pia ſolicitudine opponere, Neq; operam dare, ut rectè doceatur populus, & in uiam reuocetur. Hoc enim eſſe iuſtum Dei iudicium impedire, & ſic Deo iudicanti & punienti ſeſe opponere, Sed tolerandos etiam impios & impuros ſacrificulos,

donec ipse Dominus sine opera Magistratus, sacrificu-
lorum & impurissimorũ monachorũ animos conuertat.

Habes Princeps pientissime, & blasphemiarum &
errorum quædam delibata capita, ex quibus etiam de reli-
quis facile iudicium facere potest Cels. Tua.

Et quoniam, quod postremo loco posui, scopus est to-
tius libelli, quem de dissidijs componendis edidit, Cels.
Tuæ diligenter considerandum erit. Vnde cognoscere li-
cebit, cuiusmodi curatores animarum & Cels. Tuæ, &
subditorum tuorum constituat Grammaticus, quorum iu-
dicio & Cels. Tuæ & subditis standum sit, à quo recen
dere scelus sit, non nisi morte piandum.

Ex iuuentute, inquit, qui sunt omnium ignauissimi sce-
leratissimiq;, ut à præceptoribus suis neq; scientia, neque
uirtute ad ullum honestum uitæ genus formari possint,
His extremum refugium est Sacerdotium uel monaste-
rium. Hos, tanquam Christos Domini, tangere, nefas est,
huius grammatici iudicio.

Cum uero minime dubitem, Tuam pietatem longè a-
liter & de religionis nostræ articulis, & de pia reforma
tione Ecclesiarum iudicare: hic autem grammaticus Il-
lustre tuum nomen suo maledico & blasphemo, qui erro-
ribus refertus est, conspurcarit libro, speraui me offici
um Tuæ Celsitudini non ingratum præstiturum, si ad
uindicandum nominis tui honorem, & ad ueritatem asse-
rendam, hanc eius uanitatem redarguam & refutem.

Sed

Sed quoniam Grammaticus gloriatur, hunc suum laborem, à summi iudicij et excellentis doctrinæ uiris (præsertim in Academijs Louaniensi et Coloniensi, ijsq; ex eorum numero, quorum officium est ex ordinatione diuina ac distributione donorum, quæ est à spiritu sancto, iuxta doctrinam Apostoli de talibus cognoscere & iudicare) uno ore probari, quò res Papistarũ deuenerint, Cels. Tua facile iudicare potest.

Rebus omnibus desperatis, sophistis & pontificiorum errorum propugnatoribus ueritate Euangelica prostratis, ultimo hortatu euocãtur ad bellum, Grammatici, Transfugæ, pueri, & quicunq; arma ferre possunt. Quorum opera grata est, modo numerum compleant, & aduersus Lutheranos non sint prorsus muti.

Transfugæ infirmitates & nescio quas dissensiones nostras criminantur, ut aliquid dicant. Grammaticus noster ex suo Aesopo Apologum profert, quo sacrificulorum confictã authoritatem asserat. Ex Adagijs prouerbium: πάντα τὰ τῶν φίλων κοινά, ut inuocationem sanctorum probet. Ex Donato, tanquam armario suo producit Imperatiuum modum, temporis præsentis, secundæ personæ, pluralis numeri, Bibite, et non bibant, quod est tertiæ personæ, ut Christi institutionem in cœna mutilet, & altera parte sacramenti laicos priuet.

Cum igitur hæc sint extrema papisticorum sacrificulorum, ad quæ confugiunt præsidia, quàm non procul sit ipsorum ruina, diuinare possumus. Tantum enim abest,

ut ſacrificuli per hunc Grammaticum, uel Celſ. Tuæ, uel alijs pijs Principibus ſuos errores & Idolomanias perſuadeant, quin potius, diuina ſic diſponente gratia ac prouidentia, uix alia ratione animum Celſ. Tuæ ueræ pietatis amore iam antea flagrantẽ, excitare potuerint, ut ad piam reformationem Eccleſiarum quam primum animum adijciant. Poſtquam Celſ. Tua uidet, ſeſe à ſacrificulis ſuis ad Grammaticum, à Grammatico ad Caiaphã & Hannam, à Caiapha et Hanna ad Ro. pontificem & Cardinales, Ab his denuo ad ſacrificulos tanq̃ hircos, et, ut Grammaticus appellat, ſceleratos ablegari, quorum cuſtodiæ æternã & tuam & tuorum ſalutẽ committas. Et quidem ſpem optimã mihi facit recordatio eius temporis, cum anno ſuperiore in conſeſſu Ill. ac pijſſimorum principum, ſumma attentione animi de Magiſtratus officio in Eccleſijs reformandis, pro concione me quædam pro mea tenuitate diſſerentem Celſ. Tua audiret. Id quod & Ill. Celſ. Tuæ et Eccleſiæ, cui te Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti præfecit magiſtratũ, ex animo precor, ac uerè pij et fideles ardẽtibus uotis à Domino petunt. Dominus noſter Ieſus Chriſtus Celſ. Tuã & Eccleſiæ ſuæ et Republicæ Chriſtianæ quàm diutiſſimè incolumem ſeruet, Et ut hoc meum qualecunq; ſtudiũ benignè ac clementer interpretetur, qua poſſum ſubiectione oro. Göppingæ Calend. Auguſti Ãn. M. D. Lviij.

Illuſtriſſimæ Celſ. Tuæ

Obſeruantiſſimus

Iacobus Andreæ.

EDIDIT nuper quidam Embricenſis Ludi literarij moderator libellũ de diſſidijs, quæ noſtra hac tempeſtate, (Sic enim libri titulus ſonat) tanto cum terrore iactant Eccleſiæ nauem, à quo, & quibus rationibus, hæc ſint excitata, & qua ratione uideantur poſſe componi. Qui ſanè libri titulus magnificam complectebatur promiſsionem, qua ad eius lectionem pius ac ſimplex lector inuitabatur, ueram ſcilicet controuerſiarum noſtri temporis explicationem, & rationem, qua commodiſsimè componi queant, modò accedant animi, à ueritate & pia pace non abhorrentes. Poſtquàm uerò libellum aperio, reipſa cõperior, titulum operi minimè reſpondere. Cùm enim nulla in toto libello ſit ueræ doctrinæ explicatio, in qua uera Eccleſiæ pax & tranquillitas conſiſtit, ſed undiquaq; horrendę blaſphemiæ, à Grammatico in Deum pariter & ſynceram doctrinam Euãgelij congeſtæ ſunt, quàm nihil prę ter titulum uanum habeat, pius & candidus lector iudicabit.

Nam ueras cauſas diſsidiorum in Eccleſia, prorſus non attingit. In ueritatis autem Euangelicæ profeſſores innocentes eſt contumelioſiſsimus. Nec ullam rationem oſtendit componẽdi negocij, niſi hanc ſolam, ut altera pars, quæ ſyncerã religionem

tuetur, ueritate abiecta, sese denuo in barathrum Papisticarum tenebrarum demittat, quibus non sine maximis difficultatibus discussis, beneficio Dei est liberata. Atq; ita nihil in toto libello componere uidetur, nisi quòd astutè cum pestilentissimo hæretico Arrio Brentium & Lutherum conferat, quibus scit cum Arriana impietate nihil esse commune. Id quod hominem nullam aliam ob causam fecisse arbitror, quàm cùm sciat Arrianam hæresin cõtra Filij diuinitatem esse blasphemam & execrandam, si ei hos duos coniunxerit, suis persuadeat, similia horum quoq; esse studia, atq; ita suorum animos aduersus piam doctrinam, quam profitentur, tanquam hæreticam, blasphemam & execrandam excitet & inflammet.

Cùm autem aliquoties in libello suo commendet οἰκονομίαν in Ecclesia, ut quisq; in suo ordine & uocatione, instar membrorum corporis humani permaneat, satis mirari nequeo, quibus rationibus persuasus, hunc laborem in se receperit. Non enim ignorare potest, diuersam esse functionem eorum, qui pueritiam in studijs humanitatis erudiendam susceperunt, & eorum, quos D. Paulus Ecclesiæ doctores & pastores appellat, ut maximè non negem, puerorum animos teneros ab ineunte ætate synceræ pietatis doctrina imbuendos esse.

Priuati alicuius commodi, aut emolumenti causa se

sa se non feciſſe, anxiè & prolixè in procœmio teſtatur, ut qui magis ſcilicet aſpiret ad illa æterna, & uera bona, q̃ ut ſe his caducis, & mox euaneſcentibus, maximè uerò eccleſiaſticis bonis (quorum maior pars eſt meretricis merces, ut Micheas appellat,) in uolui ac teneri patiatur. Vt interim taceam, quod addit, ſibi etiam aditum præcluſum, ad pingue aliquod ſacerdotale beneficium, qui matrimonij iugo collum ſubdiderit. Quod ſanè uitæ genus, uel ſolum, uberrimas rationes & argumenta ſuppeditare potuiſſet recuſandi tantam prouinciam: cùm iuxta doctrinam ſuorum, nõ queat ita eſſe rebus cœleſtibus intẽtus, qui ſcilicet uxori alligatus, ea, quę mundi ſunt, curet. Si uerò quandoq; à laboribus ſcholaſticis uacaſſet, licuiſſet ei, quæ eſt hominis præclara & eximia eruditio, περιεργιαν aliquam ſcripturæ explicare utiliter uel pueritiæ ſuæ, uel doctoribus, quos ſua opera, in hoc ſanctiſsimo ſtudio plurimum profeciſſe iactitat Grammaticus. Etſi res ipſa docuerit, in hoc genere interpretationis interdum lapſos, quibus neque ingenium, neque ſtudium, neque iuſtum tempus de tantis rebus cogitandi defuit. Sed quòd Ludi moderator ſiue Grãmaticus tricenarius, qui in puluere ſcholaſtico propemodum conſenuit, uxori alligatus, & ea, quæ mundi, & non quæ Domini ſunt, curat, diſſidiorũ & controuerſiarum difficilimarum, de fide & religi

one Christiana, non solum explicationem, sed dijudicationem & compositionem tam confidenter suscipit, uel ipso teste, iure reprehenditur.

Restat igitur, ut culpam in aliquem sacrificulorum reijciamus, qui Grammatico hoc imposuerit onus & officiũ, quod se pulchrè prȩstare posse sperauit, arbitratus scilicet idem esse eleganter & uerè dicere. Documento aũt est hic ipsius libellus, aliam esse ueram, & aliam ornatam orationem, ac uerè in ipsum hoc Eupolidis, scitè dictum quadrare uidetur: λαλεῖν ἄριστος κἀδυνώτατος λέγειν. Sed quid permouerit eum, quisquis tandem fuerit illi autor & hortator, facilè diuinare licet. Eò progressa est sacrificulorum pariter impietas & impuritas, ut etiã suis cultoribus cœperit esse exosa. Id quod dissimulare amplius nequeunt, qui ad gubernacula reipublicæ sedent. Quo minus uerò aliquam uel doctrinæ uel cæremoniarum mutationem pij magistratus susciperent, hac potissimum ratione, ipsos in hac seruitute continuerunt, ad eos scilicet non pertinere iudicium, aut cognitionem controuersiarum de uera religione. Hæc permittenda esse Ecclesię proceribus, quibus utcunq; cessantibus, si quid attentarent politici magistratus exemplo Oziæ & Ozam falcem in alienam messem mittere, adeoq́ iram & indignationem Dei ipsos non effugere posse.

Rebus sic nutantibus, & ruinam minantibus, ec-

ce

te prodijt Brentij liber, cui titulum fecit προλεγόμενα in Apologiam Confeſsionis Illuſtriſsimi Ducis Vuirtenbergenſis, ubi & ſcripturæ ſacræ, & ſanctorũ Patrum teſtimonijs & exemplis docet, ad pium magiſtratum maximè pertinere hanc piam curam & ſollicitudinem, ut abolita impietate & idolatria, uerus Dei cultus, in populo Dei inſtauretur. Quem librum, cùm uidiſſent auidè ab omnibus legi, & ipſorum inſtituto maximè aduerſari, in hoc unicè enitendum ſibi putârunt, ut ſubornetur aliquis, qui eius argumenta conuellere, aut ſaltem ſophiſtica aliqua eludere conetur, atq; ita ſimplicibus fucum faceret. Hoc paſſus eſt Grammaticus noſter ſibi perſuaderi. Si enim ſua ſponte, nemine uel hortante uel extimulante, hunc laborem ſuſcepit, nulla ratione excuſabilis eſt. Cùm enim Principes alioſq; pios magiſtratus à iudicio de controuerſijs in religione exortis repellit, qua impudentia ſibi hoc arrogare audet? Inuenias namq; in uera religione, ita inſtitutos aliquot numero Principes, qui multò rectius de cõtrouerſijs, & diſsidijs exortis iudicent, quàm hic noſter Embricenſis Grammaticus.

Rectius igitur in partem aliquam iudicij admiſiſſet Principes & pios magiſtratus, aut ſibi in hoc argumenti genere temperaſſet. Vt interim taceam, ꝙd ipſe non ſemel in ſuo libello repetit: Per inui-

„ctiſsimum Carolum V. & ſereniſsimum &c. Re„gem fratrem eius, unà cum totius Imperij Principi„bus & Statibus nihil intentatum relictum, ac toties „cum tantis ſumptibus ac laboribus in Comitijs Im„perialibus & conuentibus publicis cõgregatis, ad„hibitis tot doctiſsimorum uirorum colloquijs ac „diſputationibus hactenus nihil profectum eſſe. Cùm igitur horum conatus irriti fuerint, qua audacia & temeritate ſibi tribuere audet, ſe breui, inepto, & inſulſo, ne dicam blaſphemo & maledico libello expediturum, quod illi tot laboribus tantiſq; ſumptibus, & tot doctiſsimorum uirorum opera adiuti præſtare propemodũ deſperârunt. Vt taceã, quàm non fuerit neceſſe grammaticum huic oneri ſuſtentaculũ quærere, cùm uel Sotus ipſe, uel quiſquis alius fuerit, aduerſus prolegomena prolixè ſcripſerit. Quæ ſi ſuæ factionis homines nõ continuerint in errore, quem ſemel cum lacte materno imbiberunt, metuendũ eſt prorſus deſperatum & conclamatum eſſe in Papiſtarum caſtris, ſi ad Grammaticorum præſidia curratur. Cùm autem aliquot horas in eius libelli lectione perdidiſſem, difficulter mihi paſſus ſum perſuaderi, ut eius confutationem ſuſciperem. Pleraq; enim quæ paſsim adducit argumenta ſeu potius cauillationes, iam pridẽ à noſtris toties ea grauitate ſunt confutata, ut actum agere, & ut dicitur poſt Homerum Iliada ſcribere uidear, ſi

ea

ea retexere uelim. Quapropter ridendam magis & contemnendam hominis ſtulticiam, ſeu potius furorem & inſaniam, quàm confutandam duxerim. Hic enim noſter Grammaticus non errat amplius ſimplicitate aliqua, uel ex ignorantia ſolum ſibi ipſi ac ſuis ſophiſtica imponit: nec cauillationibus modò & calumnijs pugnat, quæ poſtrema ſunt aduerſæ partis præſidia, ſed prorſus furere & inſanire uidetur, ut gratiam aliquam rependat illis, quorum fauore & ope, ut fama eſt, filijs ſuis opima contigere ſacerdotia: uſq; adeò nulla ratione illis deuinctus eſt Grammaticus. Tam tetra enim & horrenda ſcribit paſsim in toto libello, quemadmodum ſuo loco demonſtrabimus. Cuius furorem ſuperare uidentur, quorum iudicio ſuum librum probatum adeoq; canoniſatum gloriatur. Quorum nomina ſi ſilentio præterijſſet, ipſorum honori rectius conſuluiſſet. Etſi enim ueteres ſint Euangelicæ ueritatis & doctrinæ noſtræ hoſtes, uix tñ puto quenquam eò ueſaniæ & impietatis progreſſum, ut huius Grammatici furorem poſsit probare unquam. Quàm iniquè autem ſit laturus, ſi admoneatur de his omnibus ſeuerius, Apologia ſua ſatis declarauit, qua tam acerbè in eum inuehitur, cui præceps iudicium ipſius ac temerariũ de Luthero defuncto ſaltem improbatur.

Quia uerò toties obteſtatur lectorem, ut beni-

gnis animis consideret, utrum uerum an falsum scri
bat, ac sicubi errauerit, ueniam deprecetur, ac pol
liceatur, si quis errorem illi humaniter demonstra
uerit, tãtum à se abfuturum, ut succensere uelit, hoc
humanitatis & pietatis officium exhibenti, ut ma
gnam etiam gratiã sit habiturus, ne suo defraudan
tur uoto, paucis respondere uisum est. Sic scilicet
pijs & eruditis monentibus, si fortè non tantum hic
sanetur Grãmaticus, sed totus orbis intelligat pon
tificiæ religionis fundamentis, superioribus annis
tot piorum & eruditorum scriptis euersis, ad cuius
modi præsidia, in summa desperatione, confugiant.
Vnde luce meridiana clarius apparebit, superstiti
one superioris seculi in animis hominum, per Euan
gelij uocem collapsa, pontificiæ religionis defenso
res suam fiduciam non in ueritate suæ doctrinę, sed
partim in mendacijs & cauillationibus ac potentia,
partim in qualicunq; nostrorum discordia colloca
re. Ad quæ Dominus tantisper conniuet, dũ suos
electos per ignem examinet, & ludicium aduersus
ingratos maturet. Non autem mihi propositum
est, ad ea omnia respondere, quæ ex alijs descripsit
suæ opinionis autoribus, quæ omnia, sicut à ponti
ficiæ sedis defensoribus multò speciosius fuerunt
exornata, seu potius fucata, ita eorũ confutatio mul
tò solidior ex nostrorum scriptis, per hos quadra
ginta annos editis, peti potest. Sed præcipua tãtum
capita

capita attingam, quibus omnium suorum perspicatiam, & acumen, sibi uisus est superare, & cornicum, ut dicitur, oculos configere, ad quorum saltem commemorationem pius animus non potest non uehementer perhorrescere, eò scilicet posse progredi impietatis hominem, cuius exemplum in hoc Embricensi Grammatico uidebit.

Duo potissimùm proposita habet in suo libello, alterũ, ut Principibus ac pijs magistratibus persuadeat, ne ullam uel doctrinæ, uel cæremoniarum in Ecclesia, inuitis sacrificulis, suscipiant mutationem, sed hoc totum permittendum esse Pontifici, Episcopis, & sacrificulis, eorumq; stãdum iudicio, etiamsi conuincantur summæ & execrandę impietatis. Alterum, ut omnibus ex æquo persuadeat subditis pariter cum magistratibus, ne aliquam discessionem faciant ab impijs & impuris sacrificulorum sacris, propter fœtorem horribilium errorum, & impurissimæ quam plurimi degunt uitæ. Ad utrumq; breuiter respondebimus, addita breui confutatione suggillationis, qua ferè omnes partes doctrinæ Christianæ allatrat. Ordinis ratio, cum à Grammatico sit obseruata nulla, cãdidus lector mihi quoque ignoscat, si propter ipsius confusionem, cui respondendum fuit, non omnia suo loco dixero.

Appositè autem exorditur Papistarum impietatem ὑπογραφῇ Aesopico apologo, de oue, in puer-

perio existente &c. admodum festiuo, quo uiuã & expressam imaginem Ecclesiæ Papisticæ proponit, pro cuius salute suscepit hoc certamen. Multò autem infœlicius ei cedit, quàm Menenio Agrippæ, apud T. Liuium, qui Apologo de conspiratione membrorum aduersus uentriculum plebem in officio continuit.

Hic uerò noster Grammaticus, dum eius stulta imitatione iterum subditorum animos sacrificulis conciliare conatur, in summũ discrimen oues Christi adducit, & suos sacrificulos ita deformat, utsi plebs perpetuò hunc eius apologum in auribus sonantem circumferat, nunq; sibi persuaderi patiatur, ut hunc fœtorem & grauissimum odorem amplius ferat. In eo apologo confert ouem puerperã Ecclesiæ matri: Anniculum agnum filijs eius: lupũ diabolo: Episcopos, & sacrificulos Hirco hirsuto & hispido corpore, horrida barba, minacibus cornibus, ualdè formidabili. Omnia meo iudicio concinnè & appositè. Sed inprimis uenusta est Episcoporũ & sacrificulorum & monachorum descriptio, per hircum fœtidum adumbrata, ut suo dicemus loco. Equidem negare non possumus, Ecclesiæ Christi matrem, omnium fidelium, ut fœcunda est liberis (sicut scriptum est: Lauda sterilis, quę non paris, decanta laudem & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet

Esaiæ 54.

bet uirum: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende: ad dextram enim & ad leuam penetrabis, & semen tuum hæreditabit terram).

Ita etiã pro filijs diligentem curã agere, utrumq; diuus Augustinus comprehendit, dum inquit: Ecclesia mater & uirgo est, corpore casta, prole fœcunda, sponsa Christi, piè nutrit filios, quos Deo patri dignos assignare contendit. *lib. de Symbolo ad Catech. lib. 5.*

De filiorum quoq; erga matrem Ecclesiam constat pietate & obseruantia, sicut scriptum est: Quòd si Ecclesiam (matrem) nõ audierit, sit tibi uelut Ethnicus & publicanus. Audiunt ergo filij Ecclesiam matrem cum summa obseruantia, quoniam sciunt, eam patris doctrinã adferre, cuius filio est desponsata, casta uirgo, & fœcunda mater multorum filiorum & filiarum.

De Sathanę uerò odio in matrem, & studio, quo filijs eius insidiatur, ut instar lupi rapiat & discerpat, plurimorum tristia exempla docent: ueritas enim ipsa pronunciat de illo, q; mendax sit & homicida. Et Petrus de eius rabie & crudelitate testatur, eum circumire sicut leonem rugientem, ac quęrentem, quod deuoret. Aptissimè uerò quadrant in Episcopos, sacrificulos & monachos epitheta, quæ hirco Aesopico tribuit. Eum enim nobis proponit hirsutum & hispidum corpore, horrida barba, mi-

nacibus cornibus, graui odore. Si enim ipsorum ui tam examines, occurrent ferè in plerisq; , si huic Grã matico credimus , horribilia & immania scelera, quæ grauitatem odoris in hirco longè superare uidebuntur, de quibus etiam suo loco dicemus copiosius. Quibus uerò armis nõ lupum, sed stultam plebeculam & credulam terrere conentur isti, uenustè apologo expressit, hirsutis scilicet pilis hirci, & cornibus minacibus. Si per cornua intelligas mitras Episcoporum, unde & cornuti rectè appellantur, meo iudicio non erraueris. Quamprimùm enim hæc capiti ipsorum imponuntur, arbitrantur sese Sathanę adeò formidabiles factos, ut ad eius solum aspectum fugere cogatur, nihil obstante grauissimo odore & fœtore hircino. Etsi uerò Sathan hæc monstra non auersatur, quorum ipse est Architectus, multis tamen hæc ipsa terrorem sæpè inculsisse, dum hora tenebrarum duraret, superioris temporis etiam Imperatorum Regum & Principum exempla plurima testantur. Sed næ illi uehementer errant: quod uicissim Aesopico alio apologo declarare uisum fuit, ut imitatione Grammatici nostri, uel hac sola ratione, aliquam gratiam apud sui ordinis homines ineamus. Erat quondam Asinus indutus pelle leonina, qui passim uagabundus reliqua bruta territabat. Cęterùm uisa uulpe tentauit & hãc perterrefacere. Hæc autem (casu enim ipsius uocem audi-

audierat)ad ipsum ait:Sed bene scias,cp &ego te timuissem,nisi rudentẽ audiuissem.Quàm bellè secũ non dissidet Aesopi aliâs deforme & monstrosum caput, unam rem, sacrificulos scilicet nunc sub fœti dihirci, nunc sub Asini laruati persona describendo:utrumcp enim horum,in hoc genere hominum concurrit. Stultis animalculis,Asinus pelle leonina factus est formidabilis , sed qui uocem eius audierunt, hanc eius laruam superindutam non morantur. Sic sacrificuli clamitantes multa de Ecclesia catholica,quæ à Spiritu sancto regatur, & quæ errare non possit, cuius consilium sit senatus Cardinaliũ, & Episcoporum,horum decreta esse Spiritus sancti reuelationem,&indubitatam Dei uoluntatem.Qui ab horum iudicio & sententia prouocet,& Ecclesiã matrem in eis non audiat, hunc numero fidelium excluſum,etiam ad regnum Dei penetrare non posse.Qui horum uocem impiam audiunt, titulos Ecclesię,Excommunicationis,& similia iactantes,quo modo non possunt non esse formidabiles? Si uerò instar uulpis Aesopicæ,iuxta Christi doctrinã(qui non tantum simplicitatem requirit columbinam à suis, sed etiam serpentum prudentiam) Asinum esse intelligat,qui hac larua sit indutus,non curabit eorum comminationes, nec acquiescet in pelle leonina,sed caput perscrutatus bestiæ, cùm aures Asini deprehẽdet, ad eius uocem stulta inuitatione es-

fictam, non amplius terrebitur. Sed non puto, quem quam esse adeò ignarum Satanæ mētis, quam pios cognoscere Paulus testatur, qui credat, Satanam mille ad nocendum artibus instructum & uersutissimam uulpem, hos Asinos non agnoscere, utcunq; sese uestiant pelle leonina, quin potius ab eo ita uestitos non dubitemus, ut stultæ plebeculæ imponant. Quapropter rectè Grammaticus noster tribuit Episcopis hispidos pilos, & cornua minacia, quibus detractis latet nō pastor, sed hircus, nō leo, sed Asinus, accersita larua sola formidabilis.

Sed nunc explicādum uenit, num à Christo, siue matre Ecclesię eius sponsa, filij sint commendati curæ ac custodiæ hirci, à cuius latere, utcunq; fœtidi, non liceat recedere, nisi in lupi rapacissimi dentes sanguinarios peruenire uelint.

Principio negare non possumus, & pastorem ouibus, & oues pastori deuinctas, certis tamen legibus. Sicut enim scriptura prohibet, pastores ne dominentur in clerum Domini, ita oues, cùm pastores suum officium non fecerint, ad suū ius redeant. Quod ut rudiores intelligant, altius repetendum erit. In pastore ouium Dominicarum, hoc est, Ecclesiæ ministro, duo requiruntur: sana doctrina, & innocens & inculpata uita, ut quod exhortando monet, exemplo persuadeat, ut doctrina sit sana & syn-

1. Timoth. 6. cera. Ad Timotheum monet Apostolus: Si quis,

quis, inquit, aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Dñi nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundũ pietatẽ est doctrinę, superbus est, nihil sciens &c. Et iterũ: Episcopus eligatur, qui potens sit exhortari per doctrinam sanam, & cõtradicentes conuincere. Et iterũ: Si quis aliud Euangeliũ annunciat, cꝫ quod annunciatũ est, anathema sit. Formam habe sanorũ uerborũ, quæ à me audisti, in fide, & dilectione, in Christo Iesu. Et Malach. 2. Labia sacerdotis custodiũt scientiã, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Dñi exercituũ est. Hac parte si destituatur qui officio docẽdi in Ecclesia fungitur, non nisi noĩe pastor est, reipsa uerò lupus. Alterũ, quod in pastore requiritur, est innocens uita, sicut Apostolus docet ad Timotheũ, & ad Titum. Oportet, inquit, Episcopum esse irreprehẽsibilem, unius uxoris maritũ, uigilãtem, sobriũ, modestũ, hospitalem, aptũ ad docẽdum, non uinolentũ, non percussorem, nõ turpiter lucri cupidũ, sed ęquum, alienũ à pugnis, alienũ ab auaritia, qui suę domui bñ pręsit, qui liberos habeat in subiectione, cũ omni reuerentia. Et ad Thess. Vt nosmet ipsos formam exhiberemus uobis, ad imitandũ nos. Et Petrus monet presbyteros, ut sint exẽplaria gregis, hoc est, talem uitã agant, ad cuius exẽplum reliqui etiã suos mores cõponant. Cùm igitur, qui Ecclesijs præficiuntur, sanã adferunt doctrinã, consentientem doctrinæ Propheticę & Apostolicæ, & eam quocꝫ honesta conuersatione ornant,

1. Timo. 3. Tit. 1.

2. Thess. 3.

1. Pet. 5.

hi sunt, de quibus Apostolus ad Hebræos scribit,
Heb. 13. Obedite præpositis uestris, & subiecti estote eis, siquidem illi uigilant pro animabus uestris, tãquam rationem reddituri. Si uerò aliam adferunt doctrinam, hos sub pœna anathematis fugiendos ad Galatas docet. Si enim anathema est, qui aliã doctrinam profert, eandem pœnam sustinebunt, qui doctrinam cum Apostolica pugnantem sequuntur, sicut dicitur: Si cæcus cæco dux est, ambo in foueam cadunt. Similiter & de uita iudicandum est, si fuerit scelerata, & professione indigna. Denunciamus (inquit Paulus) uobis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre, qui inordinatè ambulat. si à fratre, multò magis à pastore, cuius uitia, quò magis cõspicua sunt, eò etiam plus Ecclesiæ Christi nocent. Nec id nouum, aut inauditum est, in auribus huius Grammatici, quum & ipsi pontificij suis canonibus arceant plebem ab audiendis missis, si à concubinario sacerdote celebrentur. Hinc facilè cognoscere licet, quàm uanum sit & friuolum, quod Grãmaticus noster, ex suo Aesopico apologo docet, ita prȩcepto matris Ecclesiæ nos cõmendatos hircis, ut grauissimo odore, hoc est, impurissimorum sacrificulorum doctrina ac uita offensi, ne ad latum unguem ab eorum latere recedamus.

Filij enim matris Ecclesiæ, hoc est, pij & fideles,

non

non ad perſonas, ſed ad uerbum Domini alligati ſunt. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, inquit Chriſtus. Et iterum ad Apoſtolos: docentes eos ſeruare omnia, quæ prȩcepi uobis. Et Pater de filio: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, Hunc audite. Huic uerbo alligatę ſunt oues Chriſti, ſicut Ioan. 10. inquit, Oues meæ, uocẽ meam audient. Ab huius latere non recedunt fideles, quia ſcriptum eſt: Cuſtodite & facite, quæ prȩcepit Dominus Deus uobis: non declinabis neq; ad dextram neq; ad ſiniſtram, ſed per uiam, quam præcepit (nõ fœtidus hircus, ſed fragrãtiſsimus Dñs) Deus ueſter, ambulabitis ut uiuatis, & bene ſit uobis. Et iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicq; nec detrahas. Deut. 5. 12.

Quia uerò Spiritus ſanctus per homines loquitur, & miniſterio hominum mundum arguit, neceſſe eſt, ut ſua quoq; conſtet miniſtris autoritas. Sed uidendum eſt, ne maiorem eis tribuamus, quàm ipſe Dominus conceſsit. Ea eſt, ut quam ex Prophe ticis, & Apoſtolicis ſcriptis afferunt doctrinam, amplectamur. Iis enim credentes, nõ humana ſomnia ſequuntur, ſed indubitatum Dei uerbum, quod nobis æternam & immutabilem Dei uoluntatem explicat. Limitata ergo eſt eorum autoritas: quatenus uerbum Dei adferunt, aſſentiendum eſt. Id quod uidere eſt etiam in Apoſtolis, de quibns minimè

dubium est, eorum doctrinam ex spiritu Christi
2. Pet. 1. profectam, sicut & Diuus Petrus de Prophetis pronunciat: Non uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Cùm Paulus Berrhœę annunciaret Euangelium, dignus erat, cui fidem haberent, Et quia Apostolus, & quia in tertium cœlũ raptus. Verum eius loci homines, inquit Lucas, qui uerbum Dñi cum auiditate susceperũt, quotidie scrutati sunt scripturas, si hæc ita se haberent. Quorum diligentia non offendit D. Apostolum, qui sibi non alia ratione assentiendum docuit, quàm si doctrinam suam ex Prophetarum scriptis comprobaret. Quantò uerò magis opus est hac diligentia in examinanda eorum doctrina, quorum mores hircinos esse fatetur Grammaticus noster, de quibus haud iniuria dubitaueris, num spiritu sancto præditi sint, qui in externa conuersatione, si specie sanctitatis essent clarissimi, tamen doctrina ipsorum fugienda est, si fuerit impia, & cum Prophetica & Apostolica doctrina pugnet. De hoc admonuit nos Apostolus Gal. 1. Sed licet nos aut angelus è cœlo euangelizet uobis, præter quàm quod Euangelizauimus uobis, anathema sit. Vides Christiane lector, quomodo Ecclesiæ filij alligati sint Euangelio, & non homini, cuius uoluntas, cùm sit inconstans, ab eius latere recedere

cedere licet, cùm diuersam à Christo tradit doctrinam, cui etiam, non nisi doctrinæ ratione, addictus es. Sed de hoc infrà copiosius. Nunc deliberare tantum uisum fuit, ut uideamus quàm ineptè apologum Aesopicum produxerit Grammaticus, in quo suæ Ecclesiæ pastores tanquam hircos traducit, & hoc ipso ouibus Christi persuadet, ut ab eorum latere recedant. Quòd uerò arietibus confert pios & Christianos magistratus, qui instar arietum circumeunt populum sibi commissum, ne lupus in ouile Christi grassetur, rectè meo iudicio omnia. Quæ enim in hac parte sit ipsorum officij ratio, paulò post demonstrabimus. Sed quòd arietes in eam seruitutem astringat, ut pro pastoribus fœdissimos hircos tolerare cogantur, nec pijs pastoribus commutare possint, infrà docebimus quàm sit uanum. Si enim fabulis Aesopi comprobare uoluerit, ad authorem reijciemus fabulatorem. Nos fabulis Aesopi scripturam opponemus, cuius exempla monstrabunt, quousq; officiũ magistratus pij proferatur in Ecclesia sine offensione Dei.

Similiter, & quod ex Homero adducit emblema, quàm nihil ad rem faciat, ad probandum unius hominis in Ecclesia principatum, suo loco uidebimus. Meo quidem iudicio rectius fecerit, si ope-

ram,quam insumpsit ad describendos Homeri uersus, collocasset in ecclesiastica historia Socratis cognoscenda. Sic enim minore suæ existimationis iactura non exagitasset D. Brentium, uirum de Ecclesia optimè meritum,aduersus quem impudenter criminatur,quòd falso indicio loci lectorem decipere uoluerit. Cùm impius Grammaticus græcam historiam Socratis nunquam uiderit, sed fragmentum tantum eius historiæ tripartitæ insertũ, per transennam inspexerit, de qua tamen re postea copiosius. Quis uerò Thersitæ personam referat in Ecclesia, in quem iure seuerius animaduertatur, tum planum fiet,cùm cognouerimus quę fuerit potissima causa dissidiorum,quam malignè in nos deriuare conatus est.

Sed plusquàm uerum est, quod scribit diabolum omnes suas artes expedire,ut Imperatores,Reges ac Principes decipiat, hos ad se pellectos, unà cum ipso grege, non solum à suis pastoribus abducat, uerum etiam in ipsos pastores, persuadens eis, hos esse lupos, incitatos immittat. Eius imago est depicta in meretrice Babylonica Apocalypsi 17. Mulier circundata erat purpura & coccino & inaurata auro,& lapide precioso,& margaritis. (Non agnoscis luxum & pompam Romani Pontificis & Cardinaliũ descriptam?) habẽs poculum aureũ in manu sua plenũ abominatione & immundicia fornica,

nicationis. Et paulò post: Vidi mulierē ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum.

Cupit Grammaticus cognoscere, quęnam sit illa mulier? Et mulier, inquit, quam uidisti est ciuitas magna, quæ habet regnū super reges terræ. En tibi Romā descriptā, En tibi Romanū Pontificem depictū. Reipsa experior, quamuis laicus & uxoratus sis, tñ ppter hūc laborem aliquid etiā Prophetici spūs & unctionis tibi accessisse, ut instar Caiaphæ uaticinareris de malis artibus Romanor̄ Pontificū, quibus non deceperunt modò Imperatores, Reges & Principes, sed ita conati sunt subĵcere suo Imperio, ut ex poculo fornicationis inebriarētur, ueros Ecclesiarum pastores tanq̄ lupos arcerent à grege & persequerentur. Sed quoniam Grammaticus in suo Aesopico Apologo persistens, hoc potissimùm agere contēdit in suo libello, ut omnibus regibus ac Principibus persuadeat, ipsis fugienda esse & declinanda omnia commercia eorum, qui Romano Pontifici, & eius impietati contradicunt, & permanendum in ĵs, quæ sacrificuli tradunt nomine Apostolicę & Propheticę atq̄ auitæ religionis, Nos ea, quæ de Arrio hęretico commemorat in suum locum reĵcimus. Similiter ea quoq̄, quæ de Lutheri uita pariter & doctrina euomuit, tum expendemus, cùm de Principum officio in Ecclesia constiterit.

Postq̄ Grammaticus multa de Arrio & Luthero

dixit, quę ad instítutum prorsus non pertinent, tandem eò peruenit, ut remediũ ostendat, quod malis Ecclesię mederi queat. Et rectè quidem ille ante omnia ad Deum precibus properandum iubet, ut ipse afflictissimæ Ecclesię suæ succurrat. Nisi enim ipse Deus ædificauerit domum, in uanum laborant, qui ędificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam. Deinde necesse est singulos quoq; facere suum officium, sed ne quis pręter officium aliquid in Ecclesia temerè suscipiat, neq; proteruè sumat, alterum à suo loco sibi à summo Imperatore constituto detrudat, sicut rectè monet, ita in eius limitibus definiendis, toto cœlo, ut dicitur, errat.

Principio ut simplicibus fucum faciat, & illorum oculis nebulas effundat, à cõdito orbe recensetquo modo Deus in Ecclesia sua hos duos ordines conseruauerit, politicum & ecclesiasticum, & quòd fœlix sit respublica in qua singuli suũ faciunt officium. Sicut factum est tempore Abrahę & Melchisedek. Cùm autem extra controuersiam positum sit, pœna non uacare, qui sit ἀλλοτριεπίσκοπος, sicut D. Petrus monet, quo consilio hæc prędatus sit, infrà uidebimus. Vnum saltem hîc monendum duxi, admodũ ineptè huc transscriptum incerti autoris dictũ: Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora. Quod ędquipollere uidetur ei, quod Ioannis cap. 7. scriptum est. Nun-

Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hęc, quæ non nouit legem maledicti ſunt. Nota eſt ſacrificulorum arrogantia, qui ſuas preces uenditant, non aliter, quàm ſi prorſus alienum eſſet ab officio Principum & ſubditorũ orare. Vos cùm ſitis laici, inquiunt, & alijs rebus occupati, non uacare poteſtis orationi: Vos Principes gubernate Rempublicam, iudicate inter cauſam & cauſam &c. Ruſtici inſtar iumentorum laborate, Nobis uerò committite cultum Dei, qui noſtris precibus & oblationibus uobis Deum placare poſſumus. His præſtigijs hactenus Principes cum ſubditis ſunt miſerè decepti. Sed cùm ſit politico ordini ſuus reſtitutus honos, quem impiè obſcurauit hoc ocioſum genus hominum, ita didicerunt etiam laborare ruſtici, ut precibus impuriſsimorum ſacrificulorum, non amplius ea ſecuritate committant animas ſuas, qua ſtulta credulitate illis hactenus numerârunt argentum, ſed non in panibus, ut Eſaias loquitur: & laborem ſuum, ſed non in ſaturitate. Cùm enim omnem ſubſtantiam erogârunt miſelli ruſtici ſacrificulis ad pacificandas conſcientias, inanes tamen ſunt dimiſsi, edocti ſcilicet neſcire hoĩem an odio uel amore Dei dignus: incertiores, ut ille apud Comicũ ait, q̃ antea. Quare hoc dictũ ſeruiens impietati & ocio ſacrificulorũ, & obſcurãs ordinẽ politicũ explodat.

Postea descendit ad Rempublicã Israelis, post egressum ex Aegypto per Moysen & Aaronem ad ministratam, latis legibus de politia & Ecclesia, ut de uoluntate Dei constaret in utroq;, & de autoritate summi sacerdotis, producit locum ex Deut. 17. ubi sic scriptũ legitur: Si difficile & ambiguũ apud te iudiciũ perspexeris, inter sanguinem & sanguinẽ, causam & causam, lepram & lepram, & Iudicum intra portas tuas uideris uerba uariari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Dño Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferas malũ de Israel, cunctusq; populus audiẽs timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Hactenus Mose. Hanc sententiam suo instituto accommodat, eaq; confirmare conatur quicquid Romani Pontifices cum senatu Cardinalium & sacrificulorũ statuerint in religione, id uerum, iustum, legitimũ, adeoq; diuinum & ipsius Dei iudicium esse. Et quicunq; sese huic sententiæ latæ opponat, interficiendum

dum, quòd non hominis contradicat ſententię, ſed Deo mendax & iniuſtum iudicium impingat, adeoq; in ſpiritum Dei blaſphemia ſit inexpiabilis. Id quomodo efficiat operæprecium eſt conſiderare. Principio deprauat ipſam ſententiam Moyſi, dum eam tanquam promiſsionem, & non tanquam mandatum Domini uult intelligi, cuius hæc ſit ſententia: ſummum iudicem ita gubernari à Deo, ut nihil contra legem aut alienum à lege ſit facturus, ſed iudicaturus ſit ſemper iuxta legis diuinæ præſcriptū, propterea, q̄ locum ſummi iudicis occupet. Nam uerba, quæ ſequuntur, Et docuerint te iuxta legem eius, dicit hanc habere emphaſin, facies quodcunq; dixerint & docuerint te, eò q̄ id facturi ſunt iuxta legem eius. Et omniū eorum ſententiam reprobat, qui Lyrani explicationem ſequuntur eo in loco, cuius uerba nō piget huc adſcribere. Sic enim ſcribit Lyra. Nec declinabis ad dextram uel ſiniſtram &c. Hic dicit gloſa hebraica: Si dixerit tibi, quòd dextra ſit ſiniſtra, uel ſiniſtra dextra, talis ſententia eſt tenenda. Quod patet (inquit Lyra) manifeſtè falſum, quia ſententia nullius hominis cuiuſcunq; ſit autoritatis eſt tenenda, ſi contineat manifeſtè falſitatem uel errorem. Et hoc patet per hoc, quòd præmittitur in textu, Iudicabunt tibi iudicij ueritatem. Poſtea ſubditur: & docuerit te, iuxta legem eius. Ex quo patet, quòd ſi dicant falſum, uel declinēt à lege

Dei manifestè, non sunt audiendi.

Hactenus Lyra.

Hanc Lyræ, & omnium eorum, qui Lyram sequuntur, sententiam, quæ uera & genuina huius loci explicatio est, duabus friuolis rationibus euertere conatur. Prima est: Si hæc Lyræ sententia constaret, promissio fieret incerta, qua Mose dixerat: Qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem. Sed hoc est incertũ per æquè incertum probare. Rectè quidem ipse, si promissionis sermo esset, colligeret, sed de hoc ipso inter me, & Grammaticum controuertitur, & postea exemplis luce meridiana clarius demonstrabimus, quòd promissionis nomine non queat uenire.

Altera ratio est nostri Grammatici: Si non est promissio, sed mandatum, sequeretur, illos, qui ueniunt ad Iudicem, nõ uenire tanq; hi, qui iudicium petunt, sed tanq; iudices sententiæ ipsius Iudicis, quo quid possit dici absurdius? Sed quàm friuola sit consequentiæ ratio, iam pridem in προλεγομένις Brentij demonstratum est. Non enim Iudicis officium tollitur, sed confirmatur, cùm etiam ipsi subditi, inter quorũ causam & causam summus Pontifex iudicat, legem adferant ad suæ causę bonitatẽ comprobandam. Et cùm secundũ legem, siue ex lege iudicium formare cogatur summus pontifex, legis autem cognitio etiam à populo exigatur. Deut. 6. Ni-

si

si sub maledictione esse uelit, quis litigantes arceret à iudicio, quod ex lege Domini colligunt, ut etiam de iniquitate Iudicis cognoscat, siquidē ille uel muneribus corruptus, uel minus rectè institutus, aut affectu aberrans à uera causæ cognitione, iniquam feret sentētiam. Nec propterea per litigantes de solio suo deturbatur Iudex, si maximè eius iudicium improbant, quin parati etiam patienter subire mortis pœnam, qui pleno ore iniquam Iudicis sententiam reprehendunt: malunt enim capite plecti, q̄ꝫ iniustam sententiam probare, siquidem peccatum nō est iniuriam patiēter ferre, sed q̊d iniustum est probare, non caret Dei offensa. Sed ut locum Mose rectè intelligamus, operæ precium est, quæ iudiciorū forma fuerit in Republica Israelis, cognoscere. Principio, quid ea de re scribat Iosephus, uideamus.

Αρχέσθωσαν δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν ἄνδρες ἑπτά οἱ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν περὶ τὸ δίκαιον σπουδὴν προσηκότες. ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ δύο ἄνδρες ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς. ἔσωσαν δὲ καὶ οἱ δικάζειν λαχόντες ταῖς πόλεσιν ἐν ἁπάσῃ τιμῇ, ὡς μήτε βλασφημεῖν ἐκείνων παρόντων μήτε θρασύνεσθαι τίσιν ἐξεῖναι τῆς πρὸς τοὺς ἐν ἀξιώματι τῶν ἀνθρώπων αἰδοῦς αὐτῶν εὐλαβεστέρους, ὥστε τοῦ θεοῦ μὴ καταφρονεῖν ἀπεργαζομένης. οἱ δὲ δικασταὶ ἀποφήνασθαι κύριοι περὶ τοῦ δόξαντος αὐτοῖς ἔσωσαν, πλὴν εἰ μήτε χρήματα λαβόντας τὶς αὐτοὺς ἐπὶ διαφθορᾷ τοῦ δικαίου ἐνδείξητε, ἢ ἄλλην τίνα αἰτίαν προφέροι, καθ' ἣν οὐ καλῶς ἐλέγχει ἀποφηνάμενος. οὔτε γὰρ κέρδει χαριζομένους, οὔτε ἀξιώματι προσῆκε φανερὰς ποιεῖσθαι τὰς κρίσεις, ἀλλὰ

ἀρχαιολογίας Ιουδαικῆς λόγῳ δ. κεφ. η.

τὸ δίκαιον ἐπάνω πάντων τιθεμένους. ὁ γὰρ θεὸς ἂν οὕτως δόξειεν καὶ ταφρονεῖσθαι ἀσθενέστερος ἐκείνων οἷς ἄντις κατὰ φόβον ἰσχὺν προσνείμαιτο ὑπὸ φόβου κεκρίσθαι. τὸ γὰρ θεὸ ἰσχὺς δεῖ τὸ δίκαιον. τοῖς δὲν ἐν ἀξιώματι τυγχάνουσι κατα χαριζόμενός τις ἐκείνους τὸ θεὸ δίναται τοὺς ἐλάττονας ποιεῖ. Ἀνδρὸς δικαίου καὶ μὴ νοσοῦσι πόθει τῶν ἐπ' αὐτοῖς παρατεταγμένων ἀποφήνασθαι, συμβαίνει δὲ πολλὰ τοιαῦτα τοῖς ἀνθρώποις, ἀκέραιον ἀναπεμπούσαις τὸν δίκαιον εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν, ἐλθόντες ὅ, τε ἀρχιερεύς καὶ ὁ προφήτης καὶ ἡ γερουσία, καὶ τὸ λοιπὸν ἀποφαίνεσθαι. Hactenus Iosephus, ubi docet ad ois generis cõtrouersias dirimẽdas, in singulis ciuitatibus, Iudices & Leuitas præfectos utius dicerent. In causis aũt difficilioribus & obscurioribus, ubi Iudicũ & Leuitarum deficiebat cõsilium, summũ erat in Repub. Israelis constitutum iudicium, quod quale fuerit Lyra docet. In his casibus & consimilibus, inquit, recurrendum est ad superiores Iudices, scilicet ad summum sacerdotem & Iudicem populi Israel. Et aliquando, inquit, contingebat, ꝙ utrumꝙ officium in unam concurrebant personam, sicut patet de Heli, qui fuit Iudex & summus sacerdos populi. 1. Sam. 4. Sed ut communius distinctæ erunt personæ, sicut & officia. Potest ergo intelligi ille recursus ad utrumꝙ coniunctim. Et hoc erat in causis quæ non poterant terminari ab uno sine alio, utpote in ædificatione templi, quæ non poterant fieri, sine Regia potestate, nec disponi sine sacerdotis ordinatione: uel diuisim, ut in causis spiritualibus esset recursus ad summum sacerdotem, & in temporalibus

bus ad Iudicem &c. Ex his conſtat, præter ea, quæ Moyſes deſcribit, quæ fuerit iudiciorum ratio in Repub. Iſraelis. Sed quoniam Ioſephus de ſummo iudicio ſcribit. ὅ, τε ἀρχιερεὺς καὶ ὁ προφήτης, καὶ ἡ γερουσία, καὶ τὸ δικοῦν ἀποφαινέσθωσαν, ne fortè τὸ δικεῖν ad deliriũ ſuum detorqueat Grammaticus, Cùm noſtra explicatio illi ſit ſuſpecta, Gloſę ordinariæ uerba afferemus ſuper eundem locum, cui detrahere nefas iudicabit. Si difficile) ſuper hæc uerba habet gloſa, Sacerdotes Eccleſiæ Dei inſtruit, ut iudicia eccleſiaſtica, ſecundum poteſtatem ſibi à Deo datam reuerenter agant, & iuſtè diſcernant, non ad libitum ſuum, ſed ſecundum legis decretum, ne ſuſcipiendo perſonam, mutent ſententiam. Et paulò poſt, ſuper hæc uerba: Iuxta legem.) Nota non dicitur tibi, ut obedias, Niſi iuxta legem docuerit. Vnde ſuper cathedram Moſe ſederunt ſcribæ & phariſæi. Hæc Ioſephi, Lyræ & Gloſæ teſtimonia & uerba, ſi conferamus, liquidò conſtabit uerus & genuinus huius loci ſenſus, quem Grammaticus cum ſuo conſortio miſerè deprauat. Quorum ſumma eſt: ſi per inferiores Iudices in ſingulis ciuitatibus conſtitutos cauſa definiri non queat, referendum eſſe ad ſupremum Iudicem, in ſancta ciuitate conſtitutum, ſicut Ioſephus loquitur. Deinde ſacerdoti Prophetæ & γερουσίᾳ non datam abſolutã poteſtatem, ut quod uelint, iudicent, ſed dent operam, ut ipſorum iudicia

sint diuinæ legi conformia. Tertiò non tenentur obedire (per approbationem, sic enim libet mitigare glosam, ne nimis dura uideatur Grammatico) subditi, nisi iuxta legem iudicauerint. De his tribus capitibus si libet Grammatico, contendat cum nominatis autoribus, si Mose uerba non sunt satis clara & perspicua, quę omnia cum huius Grammatici commento ex diametro pugnant. Et ut rem similitudine explicemus rudioribus, perinde factū est in Repub. Israelis, ac si Princeps suis subditis responderet, qui quotidie suas querelas ad ipsum referunt. Agite dilecti subditi, ego si maximè cupiam, non tamen possum omnium cognoscere causas, sed ne cui fiat iniuria, singulis oppidulis præfeci præfectos, illis seueriſsimè iniunxi, ut uestris causis cognitis ueritatem iudicij sine personarum respectu iudicent. Et ne de ipsorum fide dubitarem, eam mihi iureiurando obstrinxerunt. Ad illos ergo referte causas uestras. Sin uerò dubitatis de eorum iudicio, supremum in ducatu habeo iudicium, & illi mihi fidem suam dederunt, ad eos uobis, tanquam ad supremū iudicium prouocare licebit, qui iudicij ueritatem uobis iudicabunt. Hæc Principis uerba, uidentur quidem, si prima fronte inspicias, promissioni similima, uerùm quia sese ad fidem referunt supremi iudicis, nihil aliud sunt quàm narratio mãdati, quod summo Iudici dedit. Nec Princeps fallit, qui diligẽter

ter præcepit iudici ueritatem iudicij: neq; si subditus hoc grauetur iudicio Principi imputari potest. Etsi Principi displiceat supremi Iudicis iniqua sententia, quam contra datam fidem & Principis uoluntatem tulit, Nec dubium, Principem compensaturū damnum, si subdito iniuriam factam esse resciuerit. Simili ratione factū est, per Moysen principē populi, qui populū in grauissimis causis ad summū sacerdotem ablegauit, Et quod dixit: qui iudicabit tibi iudicij ueritatem, repetitio est mādati, quod iudici iniunctum est, ut rectè iudicet. Et Iudices obsecuturos huic mandato, populo spem facit Moyses. Quòd si summus Iudex iniquè iudicet, sicut multæ extant apud Prophetas querelæ, Mose uanitatis argui nō potest, qui plebem deceperit, cùm Iudici officiū seueriſsimè iniunxerit. Nec subditi contra Moysen murmurent, sed cùm ab huius sentētia prouocare non liceat, iniuriam patienter ferunt, & totū negotiū Deo cōmittunt, nō sunt in Iudicē contumelioſi, sed Deo uindictā dant, qui suo tēpore retribuet.

Quæ omnia cùm ita sese habeant, ut dictum est, luce meridiana clarius demonstratū existimo, sententiā Moysi Deu. 17. siue de politicis siue ecclesiasticis intelligatur causis & cōtrouersijs, ab Embricēsi nostro Grāmatico esse horribiliter deprauatā, q; cōtendat, eā simplicē promissionē esse nō mādati repetitionē, & q; summo Pōtifici liberā potestatē tribuat

iudicandi de controuersijs fidei & religionis, exclu sa conditione, quam Moysi addit, & explicatione Lyrę abiecta, quæ eius opinionem refutat. Sed ne quis dubitet, hāc, quam attulimus, esse germanam huius loci sententiam, cum qua Grammatici figmē tum consistere non possit, uideamus exempla, qui/bus comprobetur, hanc non posse referri ad causas fidei & cultus Dei, nisi ratione mandati, uidelicet ut secundum legem iudicet, ad cuius sententiam, tan/quam summum iudicium prouocetur. Vriam sum mum sacerdotem fuisse Hierosolymis non negaue rit Grammaticus, eius facinus exigamus ad hāc (ut Grammatico placet) promissionem, & uideamus, num uera sit promissio, An uerò, si promissio non sit, contra legem Domini fecerit Vrias. Impius Rex Achaz, sicut 4. Reg. cap. 16. legitur, mittit ad Vriam sacerdotem exemplar altaris Damasceni & similitu dinem iuxta omne opus eius, petens, ut simile in tē/plo Domini extruatur. Ex populo dubium nō est, quin fuerint, in quorum oculis hæc res fuerit horri bilis abominatio contra legem Dei, scilicet in tem/plo Domini extrui altare ad imitationem gentium. Psal. 107. Cùm autem hæc res sit delata ad summum pontifi/cem, qui iuxta ueritatem promissionis diuinæ, iudi cabit iudicij ueritatem, Expectemus eius sententiā. Sequitur in eodem loco: Extruxitq; Vrias sacerdos altare, iuxta omnia, quæ præceperat Rex Achaz de

Da/

Damasco ita fecit sacerdos Vrias. En summi Iudicis sententiam. Quæritur autem de huius iudicij ueritate. Summus sacerdos extruxit altare, qui huic contradicit, is moriatur secundum Iudicis sententiam. Impingit enim secundum Grammatici nostri sententiam iniustum & mendax iudicium spiritui sancto: contrà uerò qui probant hoc summi sacerdotis factum, quod cum manifesta lege Domini pugnat, hi secundum legem faciunt, hi Deo grati & accepti sunt. Quis quæso sanę mentis homo non agnoscat, talia asseuerantem furiosum esse, & sensum cõmunem pariter cum ratione amisisse? Nam si examinetur factum ipsius, & ad legem Dñi exigatur, manifestum est iudicium hoc sacerdotis, quòd iudicauit obsequendum mandato regis, esse iniustum, falsum, impium, blasphemum. Non ergo iudicauit ueritatem iudicij, quia non secundum legem, sed contra legem, in gratiam regis censuit faciendum. Tempore Esaiæ, Ieremiæ, Ezechielis quomodo ueritatem iudicij iudicauerint sacerdotes, ipsorũ querelę testantur. Esa. cap. 56. Ier. 5. 6. Ezech. 23. & 22. Similia exẽpla in prolegomenis Brentij uideat Christianus lector, ad quæ Grammaticus ne uerbo quidem respondet. Aut enim Prophetæ iniustè ipsos apud populum accusârunt, aut sacerdotes non iudicârunt iudicij ueritatem. Et uicissim iure persecutionem ab his Prophetæ passi sunt, quòd superbientes

noluerint obedire ſacerdotis imperio, aut ſummos ſacerdotes non iudicaſſe iudicij ueritatem, qui hoc nomine à Prophetis grauiter accuſabantur. Ideo nec promiſsionem fuiſſe conſtat, quod apud Moyſen ſcribitur, de ſacerdotis ſummi iudicio, ad quod populus ablegatus erat. Sed audiamus eius rei illuſtre exemplum in Hieremia Propheta, qui contradixit ſummo Iudici, & uideamus, ſuperbia ne factũ ſit an pietate, quòd ſummi pontificis imperio noluerit obedire. Hieremias Propheta ex mandato Dñi in oculis ſuorum conterit lagunculam, & concionatur hoc ſymbolo & ſermone, de futura calamitate, fore ut breui ſic quoq; conteratur populus iſte & ciuitas iſta, ſicut conteritur uas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari. Hæc Prophetę concio defertur ad ſummũ iudicem, qui tùm titulotenus ſeruiebat in domo Dñi. Erat enim populo ingrata concio, etſi Propheta quoq; ſuos habebat adſtipulatores. Audiamus ſummi ſacerdotis Phaſſur ſentẽtiã, qui niſi iudicij ueritatẽ iudicauerit, uanitatis arguetur promiſsio. Et inquit Propheta: Et percuſsit Phaſſur Hieremiam Prophetam, & miſit eum in neruum. Si recte iudicauit ſacerdos, dicendum erit peccaſſe Prophetam Hieremiam, qui contra uoluntatem ſacerdotis, de captiuitate populi & deuaſtatione regni cõcionabatur. Sed quis Prophetam dicet peccaſſe, qui imperata facit à Domino? Si uerò Propheta ſuũ officium facit, ſibi à Dño cõmiſſum, ſequitur ſacer-

Hier. 19.

Hier. 20.

dotis Phaſſur iniuſtũ fuiſſe iudiciũ, q̃ iudicat Prophetã & plagis & carcere dignũ. Sed audiamus quoque ſenatũ huius ſupremi conſulis in ciuitate Dei, ſi fortè in eo iuſtũ iudiciũ, ſiue, ut ſcriptura loquitur, iudicij ueritatem inuenire queamus. Venite (inquiunt) & cogitemus contra Ieremiã cogitationes. Nõ enim peribit lex à ſacerdote, neq̃ conſiliũ à ſapiente, nec ſermo à Propheta: uenite & percutiamus eũ lingua, & nõ attendamus ad uniuerſos ſermones eius. Habes iudiciũ quoq̃ ſenatus, quẽ cõſul Grãmatici adhibet in conſiliũ, is damnat quoq̃ Ieremiam, quòd arguat ſacerdotes ignorantię legis, & Prophetas ipſorum uanitatis. Aut igitur Propheta Ieremias errat, aut conſulis cum ſenatu, hoc eſt, ſummi ſacerdotis & Leuitarum iudicium de doctrina Prophetæ eſt falſum. Sed prẽſtat uidere exemplum Caiaphę & totius ſynodi, cuiuſmodi iudiciũ illi contra Chriſtũ tulerint. Caiaphas ſummus fuit ſacerdos, quapropter in ambiguis defertur illi iudiciũ. Eſt autẽ controuerſia de doctrina Chriſti, de qua nõ erat idẽ oĩm iudiciũ. Quidã (inqt Ioannes) dicũt: bonus eſt, alij aũt dicebant, non, ſed ſeducit turbas. Et iterq̃ quidã dicũt, Hic eſt uerè Propheta, alij dicebãt, hic eſt Chriſtus. Quidam aũt dicebãt: Nunquid à Galilęa uenit Chriſtus? atq̃ ita diſſenſio facta eſt in turba ꝓpter eũ. Cùm igit̃ dubitatur de doctrina Chriſti, & populus ambigeret, Chriſto ne adhęrere debe

Hier. 18.

Ioan. 7.

ant, qui sese profitebatur lucem & uitam: an uerò Phariseis, qui sanctitatis nomine clari erant in populo. Cui igitur defertur iudicium summum in hac
Ioan. 5. dissensione & controuersia? Prouocat ne Christus ad iudicium summi Iudicis, ut iudicet iudicij ueritatem? Nihil minus facit Christus, sicut paulò post audiemus, sed ab illius iudicio ad scripturam: Scrutamini, inquit, scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt, quæ de me testimonium perhibent. Sed ne suo iure priuetur Caiaphas summus sacerdos, ipse sibi cum suo senatu sumit iudicium de Christi doctrina, super qua dissensio orta erat in populo. Hanc, ut paucis omnia dicam, pronunciat Caiaphas cum suo concilio, legi timè scilicet ex sacerdotibus & senioribus populi collecto, blasphemam: sic enim Euãgelista testatur. Cùm summus Pontifex Christum adiurasset per Deum uiuum ut diceret, Num ipse esset Christus filius Dei uiuẽtis. Et Iesus ei respondisset: Tu dixisti, ueruntamen dico uobis, à modo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Tùm princeps sacerdotũ scidit uestimenta sua dicens, blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus, Ecce nunc audistis blasphemiam, quid uobis uidetur? At illi respondentes dixerunt, mortis est reus. Hactenus Euangelista. Habetis nunc supremi Iudicis sententiam, in qua dijudi-

catur

catur controuersia de doctrina Christi, uidelicet blasphemam esse uocem Domini nostri Iesu Christi, qua asserit, se esse Christum filiũ Dei uiui. Nunc quæritur de ueritate huius iudicij. Si enim summi sacerdotis iudicium de doctrina Christi est iustum ac uerum, sequitur doctrinam Christi blasphemam esse, qua sese pronunciat Christum esse filium Dei uiui. Si uerò Christi doctrina uera, sequitur summi sacerdotis iudicium esse iniustum & blasphemum. Hic noster Embricensis, ut suum errorem, quem semel concepit animo, tueatur, non ueretur pronunciare Caiapham summum pontificem contra Christum iudicasse iudicij ueritatem, hoc est, iudicium Caiaphę contra Christi doctrinam fuisse iustum, & legi atq; uoluntati diuinę consentaneum. O extremè blasphemam blasphemiam. Quid hic dicemus uiri fratres? Quis mortalium tam blasphemã uocem audiuit unq; ex ore hominis, qui sese Christianum profiteatur? Mirum si terra ferat tam blasphemum hominem, quin uiuum deglutiat? Eó nere uestræ deuenerunt, qui ueritatem Euangelij exosam habetis, ut ad tuẽdam impietatẽ uestrã & autoritatẽ, quã tyrannicè in Ecclesia Christi tot annis usurpastis, impiũ Caiaphæ iudiciũ contra Christum iustificetis? Hæccine sunt uestra prę sidia extrema, reliquis armis omnibus amissis, ad quæ ad extremũ confugitis? Non puto quenquam in uniuerso

Papatu eò proteruiæ & impietatis progreſſum, ut hanc Grãmatici tam enormiter blaſphemã uocem ſuſtinere queat, qua ſibi uidetur pulchrè autoritatẽ & dignitatem ſucceſsionis ordinariæ aſſerere. Sed uideamus rationem, qua impiũ, & iniuſtum iudicium ſummorũ pontificum aduerſus Chriſtum iuſtifi cet. Videtur enim talem colorẽ inducere, quo etiã circũſpectos ſeſe poſſe decipere perſuaſum habet.

» Quis non uider (inquit Embricenſis) q̃ iniuſtũ fue
» rit iudicium, q̃ falſa ſententia, quantũ ad Pontificẽ,
» & huius ſenatum attinet? Nam hi ex odio, liuore,
» falſis teſtibus, mẽdacibus criminibus, procedebãt.
» Quantum uerò ad iuſticiã Dei Patris & uoluntatẽ
» unigeniti filij eius, iuſta erat ſententia & iudicij ueri
» tas. Cùm nõ queat perſonas excuſare, ſententiam tñ contra Chriſtum latam impudenter & ſceleratè defendere conatur. Hoc ſolum reprehenditur in ſummo Pontifice & ſenatu eius, q̃ ex odio, & liuore, falſis teſtibus ac mendacibus criminibus procedebãt contra Chriſtum. Verùm ipſa ſententia, qua illum tanq̃ blaſphemum declarant, & qui reus mortis ſit pronunciant, eſſe iuſtiſsimam ſententiam, adeoq́ iudicij ueritatem. Quis enim ad hanc blaſphemã uocem non perhorreſcat? Agite ergo, & excuſemus ſeu potius abſoluamus ipſum Pilatum, qui contra Chriſtum non procedebat ex odio, liuore, falſis teſtibus, & mendacibus criminibus, Sed contra uoluntatem

luntatem ſuam, ut ſummi pontificis ſatisfaceret poſtulationi, Chriſtum crucifigendum tradidit. Sic enim inquiunt: Legem habemus, & ſecundum hanc legem debet mori. Quæ eſt lex illa? De blaſphemis, ut opinor, Leuit. 24. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Secundum hanc legem pronunciat ſummus pontifex Chriſto eſſe moriendum, quem antea blaſphemiæ damnauerit, quòd affirmaret ſeſe eſſe Chriſtum filium Dei uiui. Quid quæſo magis blaſphemum, quàm filium Dei aſſerentem & ſuam & Patris gloriam, blaſphemiarum reum agere? Si enim hæc uox Chriſti blaſphema eſt, blaſphemus erit & Apoſtolus Diuus Petrus cum collegis, qui inquit, Tu es Chriſtus filius Dei uiui: blaſphemus erit Hieremias, qui inquit de Chriſto: & nomen eius יהוה Iuſticia noſtra. Et Eſaias, qui Chriſtum appellat Deum fortem. Imò & ipſe Deus Pater, qui de cœlo teſtatur: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sed quid ego hæc commemorem? tot enim blaſphemias colligerem, quot extant in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis de diuinitate Chriſti teſtimonia. Quid extremę impietatis homo hic noſter Grãmaticus non faciet. Si enim hęc ſententia ſummi pontificis uera eſt, & iuſtum iudicium, Chriſtus ipſe blaſphemus fuit in Deum patrem. Si uerò ipſe blaſphemiam cõmiſit, quomodo tantũ ſcelus expiare potuit pro alijs, cuius ipſe reus agitur?

Vt igitur Christus scelera nostra, sua passione expiaret, sicut ipsum innocẽtem esse & iustum oportet, ita mortis sentẽtiam, aduersus ipsum latã iniustissimam fuisse necesse est. Sed inquit Grammaticus noster, sceleratus, indignus, qui hunc intueatur solem: Christum, qui pro sua persona innocentissimus fuerat, pro nobis peccatoribus sese Deo patri adstrinxisse, & hac ratione patrem iustè has pœnas exigere ab eo, haud secus, ꝙ si quis nostrum pro alio promittat alicui se pensurum, quod ille alius debuit, iustissimè facturus sit ille, cui facta est obligatio illa pro alio, si id, ad quod ille, qui se obligauit ultrò, ipse ex pacto exigat. Necꝙ eius, qui se obligauit est prescribere illi, cui facta est obligatio, per quos debeat hoc debitum exigere. In illius, qui obligationẽ recepit, potestate est constituere ad hanc exactionẽ eos, quos ipse uult. Deus pater pro sua diuina & immutabili iusticia uoluit ab unigenito filio suo pœnas exigere, quas cùm nos deberemus, ipse unigenitus filius in se receperat pendendas. Has pœnas uoluit per legitimam potestatem à se ordinariè institutam exigere. Ad hanc exactionem iudicauit magis idoneos inclementes illos, quàm alios. Quis enim clemens, mitis ac pius non exhorrescat ita tractari filium Dei? Peccata hîc erant punienda non filij Dei, qui nullum fecerat peccatũ, sed nostra in filio Dei, qui hæc in se expianda receperat. Nónne uerè scriptum

ptum est in lib. Iob. 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Et paulò post: Videtis (inquit) quàm mirabiliter Deus iusticiam & ueritatem suam illibatam conseruet in iudicijs illorum, quos ipse in cathedris ad iudicandum constituit, quantumuis ipsi longè à iusticia recedant. Quod dum faciunt, ipsi quidem iniusticiæ suæ pœnas dabunt, Deus autem interea conseruabit eos, qui secundum ordinem & mandatū ipsius submittunt se illis, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, iuxta uerbum Apostoli Rom. 13. Hactenus uerba Grammatici recensui, quibus sententiam suorum pontificum, aduersus Christum latam, rancq; iustam & legi consentaneam tueri conatur. Eius argumentū ut intelligant rudiores, ad metas artis docendi referamus. sic enim argumētatur. Nota.

Sententia summi Pontificis contra peccatum lata iusta est. Christus suscepit peccata nostra expianda. Ergo sententia summi pontificis, contra Christum lata est iusta. In hoc syllogismo uident pueri, esse quatuor terminos, quare ad maiorem respondeo. Summi pontificis iudicium nō fuisse contra peccatum Christi, hoc est, Summus pontifex Christū adiudicando morti non respexit peccata Christi, quæ nulla erant, nec peccata nostra, quæ Christus expiare uoluit. Sed quod in Christo adorandum erat, id summus pontifex blasphemiam esse pronunciat di

gnum morte. Quare consequentiã in argumẽto cõstat esse nullã. Et manet summi pontificis sentẽtia in ęternũ iniusta. Alter syllogismus est nrī Grãmatici.

Sententia diuinę uoluntati conformis est iusta. Summi pontificis sententia est conformis uoluntati diuinę. Ergo est iusta. Minorem probat ipse Grãmaticus: Sic scriptũ est, inquit, Oportuit Christum pati. Et iterũ: Legem habemus, & secundũ eam debet mori. Cùm ergo hanc Dei uoluntatem perfecerint summi Pontifices, sequitur ipsorũ iudicium iustum fuisse. Ad minorem respondendum est, ꝙ nõ sit simpliciter uera. Cùm enim causæ uolũtatis diuinę cogitantur, siue efficiens siue finalis, prorsus contrariæ sunt causis summorũ pontificum, quibus permoti Christum capite damnârunt. Deus Pater motus misericordia erga genus humanũ, uoluit filium pro illo uictimã fieri, ut Deo reconciliati, hanc Dei Patris in filio prędtitam misericordiã celebrẽt. Summus aũt pontifex nulla humani generis ratione habita, quã prorsus ignorat, ex odio & liuore, Christũ in manus peccatorũ tradit, ut occidatur & è medio tollatur, qui sua doctrina rationes ipsorum inuertebat. Cùm ergo causæ impulsiuæ & finales diuersæ sint, quis nisi furiosus & mente captus, dicet idem uoluisse summum pontificem quod Deum ipsum? Hęc sophismata in scholis pueris sunt nota, quapropter miror, qua insciti a seu potius malicia, in negotio

tio tam grauí audeat & Deo & hoībus illudere Grā maticus, dignus in quē animaduertatur exēplo Camilli, qui Ludimagíſtrum Faliſcorū nudatum & à pueris cęſum in urbem remiſit, cp in obſidione oppidi, quaſi ſpaciatū egreſſus eſſet, Faliſcorū filios Camillo hoſti tradiderat. Crimē noſtri calefactoris & proditoris hoc atrocius eſt, quò pluris faciēda eſt ęterna ſalus, cp hęc uita caduca & fragilis. Hic em̄ miſeram pueritiā hac impietate à teneris imbuit unde illis æternū exitiū creatur. Sed ut ad argumentū redeamus, cōmendat hoc ſummorū pontificū iudiciū ſupra modū Grāmaticus. Quòd uidelicet per hoc Deus perfecerit ſalutē noſtram, cp in eo ſit lex conſummata. Sed audiamus ipſius collectionē. Cū adiuratus à pontifice, ut diceret eis, an ipſe eſſet Chriſtus filius Dei, cōfiteretur, ſe hūc ipſum eſſe, nónne ſatis confirmauit, ſe ſecundū legē debere mori? Videquam procurationē ſalutis noſtrę adſcribat ſummo pōtifici, Cū in lege adumbrata ſit mors Chriſti, introducit hìc ſummum pontificem tancp anxiè inquirentē, num ipſe ſit Chriſtus ille, qui ſua morte ſit uniuerſum genus humanū redēpturus? Huius uoluntati dū reſpondet Chriſtus, ſe hunc eſſe uirū, Caiaphas inferat, ergo ei moriendū eſſe. Quid tibi uidetur pie ac Chriſtiane lector de Grāmatico, inſanire ne, an uerò cum Deo ludere? Deus procurauit ſalutem noſtram per iudicium ſummi ſacerdotis.

Ergo ſacerdotis iudicium iuſtum eſt, quod omnes hoies probare tenentur, non tm̃ ꝓpter iram, ne ex ſententia Iudicis moriantur, ſicut Moſi uerba habent, ſed etiam propter conſcientiam. Pueri in ſcholis didicerunt huius fallaciæ nodum ſoluere, quæ dicitur accidentis. Accidit enim iniuſtiſsimo conſilio impiorum ſacerdotum, ut Dei bonitate iniquiſſima ſententia ſummorum pontificum, æterna noſtra ſalus & redemptio procuraretur. Hanc fallaciã alia exornauit, quæ eſt à particulari ad uniuerſale. Caiaphas ſemel prophetauit, Ergo omnia illius dicta, oracula diuina fuerunt. Camillus hoc loco deſideratur, qui aduerſus hunc Grammaticum inſcitia nudatum, pueros uirgis armaret, ut ſe quàm primũ in ſcholam ad fabulas ſuas Aeſopi profitendas reciperet.

Multò abſurdius eſt, quod ex Matthæo adfert, ubi Chriſti dictum prorſus in alienum & impium ſenſum detorquet: Super cathedram Moyſi ſederũt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo, quęcunq; dixerint uobis ſeruate & facite, ſecundum opera uerò eorũ nolite facere. In hac ſentẽtia ſignum uniuerſale (omnia) quod ad præcedentia pertinet, uidelicet quatenus ſedẽt in cathedra Moyſi, Quicquid ex lege Moyſi docent, Non quando ſedent in cathedra irriſorum, in qua deprauationes legis fabricantur, ſine omni reſtrictione explicat, ad probãda omnia ſom-

nia

nia Phariſæorum,cùm Chriſtus dicat: Omnia quę cunq; dixerint uobis facite. Sed q̃ non fuerit hæc Chriſti ſententia,aliâs docet,cùm ſuos monet,ut ſibi caueant à fermento Phariſęorum,quibus humanas traditiones docentibus, ſi obtemperent, ſciant ſe fruſtra colere Deum hiſce traditionibus Phariſæorum & Scribarum,hoc eſt,legislatorum. Et iterũ: Omittite illos,cęci ſunt,& duces cęcorũ,ubi de Phariſęorum doctrina fit mentio.Et iterum: Væ uobis, Scribę & Phariſęi hypocritę, qui clauditis cœlum ante homines,uos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare &c.Si uerò placet ſine omni reſtrictione uerba Chriſti accipere, uideamus, quæ abſurda ſequantur.Ioan.7. Phariſęi prȩcipiebant ſuis miniſtris,ut Chriſtum caperent. Item dehortantur eos,ne ipſius aſſentiant doctrinæ. Num & uos, inquiunt,ſeducti eſtis? Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eũ,aut ex Phariſęis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem maledicti ſunt. Huic increpationi famuli Phariſęorum coacti ſunt iuxta huius Grãmatici opinionem obtemperare, propter conſcientiam,& abiȷcere Chriſti doctrinã, de cuius ueritate magna ex parte in cordibus ſuis erant conuicti,dum apud Phariſęos teſtantur: Nunquàm ſic locutus eſt homo, ſicut Hic homo, excuſantes hoc ipſo ſuam inobedientiam, q̃ non auſi fuiſſent iniȷcere in eum manus.Quia ſcriptum eſt Deut.17. Qui

autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille. Et iterũ: Super cathedram Moyſi ſedent Scribę & Phariſęi, Omnia, quæcunq; dixerint facite. Tenentur ergo illi ratione mãdati diuini, quod ex ore ſacerdotis ſonabat, doctrinã Chriſti, tanq; blaſphemam & hęreticã deteſtari. Ioan. 8. inquiunt Scribę & Phariſęi de Chriſto: Nónne bene dicimus nos, q Samaritanus es, & dęmonium habes? Hęc eſt ſententia ſummorũ pontificũ de Chriſto, q ipſius doctrina ſit dęmoniaca, & religio atq; fides eius ſit inſtar Samaritanorũ. Rectè ergo faciunt oẽs Iudęi, qui Chriſtum tanq; dęmonium habentem perſequuntur, & eius doctrinã tanq; dęmoniacam deteſtentur ac fugiant. Quia ſic de eo iudicârunt ſummi pontifices, quibus ratione mandati diuini obedire tenentur, aut ex decreto iudicis mori. Cùm Chriſtus ad tribunal Pilati ducitur, ſummi pontifices inſtituunt populum, ut clamitent contra Ieſum: Crucifige eum: Crucifige eum: Rectè ergo egerunt illi, quia ſic iudicabant ſummi pontifices, & ſanctã pręſtant obediẽtiam ipſi Chriſto, qui pręceperit facere, omnia, quęcunq; illi dixerint, Etſi cõtra Chriſtum, qui iam trahebatur ad ſupplicium illorum uoto. Pręclarum exemplum obſeruantiæ & obedientiæ erga ſummorum pontificum mandata eſt Iudas Iſchariotes, qui poſtq; audiuit doctrinam Chriſti à Phariſæis damnatam, à præceptorę

ceptore dęmoniaco & ſamaritano deficit, & cum illis certo precio paciſcitur, ut ſua opera hic hęreticus in ipſorum manus perueniat, & è medio tollatur. Quibus ſi reſtitiſſet, ex ſententia Iudicis mors illi iuſtiſsima metuenda erat. Nunc quia hanc ſanctã obedientiam præſtat ſummo pontifici, etiam ſui prędicti facti mercedem accipit 30. argenteos. Iuxta illud: Si ambulaueris in mandatis & præceptis Dei, ut facias ea (inter quæ etiam erat illud de ſummi pontificis iudicio) benedictus eris. Quod igitur ex conſcientia tenebatur facere, iure omni accuſatione coram Deo & hoibus eximitur. Sic iuſtificabimus peſsimũ proditorem ſaluatoris Iudam, ſi hęc mens eſt uerborum Moſi & Chriſti, quæ à Grãmatico noſtro ſceleratè affertur. Sed deſino plura cõmemorare exempla. Totus em̃ ad horũ recitationem perhorreſco. Ex his enim quæ dicta ſunt, facilè eſt uidere, hũc noſtrum Grãmaticum furioſum & mente captũ eſſe. Nam homo ſenſu communi prædituſ iudicare poteſt, quòd ſint blaſphema & abſurda. Quòd uerò introducit Chriſtum, qui in hoc uel præcipuè declarauerit ſuam obedientiam, quam præſtitit Deo Patri uſque ad mortem, quòd ſe illis Iudicibus quantumuis iniquis & impijs iudicandum tradidit & permiſit, Quaſi ita doctrinam ſuam illis examinandam ſubiecerit, quòd illorum iudicio ſtare uelit, quàm malicioſum & putidum mendacium ſit,

infrà uidebimus, ubi confutanda erunt, quæ de nostro ſummo pontifice affert figmenta. Eius farinæ quoq; eſt, quod ex 2. Petri 2. deprauat, ut hac in parte Chriſti obedientiam imitemur, & nos noſtraq; omnia ſummo Pontifici ſubijciamus, Nec in re minima illis obloquamur, quod etiam de Chriſto impudenter affirmat. Sed inquit, etſi illi peccent, dum hanc debitam obedientiam ſummo pontifici præſtent ex mandato diuino, Deus tamen conſilio ſuo, hæc omnia conuertit, in occaſionem gloriæ & iuſticiæ ſuæ, exitum iudicij deducens ad ſalutem generis humani. Et iterꝝ. Videbitis, inquit, mirabilia ſapientiæ & iuſticiæ Dei, etiam in impietate illorum, qui in cathedris ſedent, abutentis ad declarandam iuſticiam & ueritatem, & miſericordiã erga genus humanum. Et iterum: Hæc cùm illi animis planè impijs dicerent, ueritas iudicij nihilominus ratione legis diuinę, admiranda quadam, adeoq; ſtupenda prouidẽtia, diſpenſationeq; Dei in his omnibus eſt conſeruata. Hæc ille. Quorum ſumma eſt, utcunque mali ſint ſacerdotes & iniqui, Dei tamen eſſe tã tam bonitatem, ut malorum conſilijs & actionibus ad declarandam ſuã miſericordiam & iuſticiam uti queat. Quid quæſo hîc audimus? Num propterea ſacerdotibus non eſt contradicendum, ꝙ Deus illorum malis conſilijs benè uti poſsit? Quæ ſcelera immania, quæ flagitia horrenda, hac ratione non licebat

licebat excusare? Cain interficit suum fratrem, id sine prouidentia & dispositione Dei non est factum, in quo Deus occultè suam & declarauit bonitatem erga Abelem, quem ad meliorem uitam transtulit, & suam iusticiam erga impium Cain, quòd uindicet fratris innocentem sanguinem. Num propterea iustificabimus ipsius Cain aduersus fratrem perpetratum scelus? Quòd Noe nudatus in tabernaculo suo à filio irridetur, non sine diuina prouidentia factum est, & in eo declarauit Deus & suam bonitatẽ erga Noe, ut hoc spectaculo admonitus sibi post hac ab ebrietate caueret, & iusticiam erga ipsum Cham, qui iustissimo iudicio Dei est maledictus. Num propterea iustificabimus ipsum Chami facinus? Gen. 4. Gen. 9.

Loth inebriatus cum duabus filiabus congreditur, & earum turpitudinem reuelat. Id quod nõ est factum sine diuina prouidentia, Et in utroq; Deus declarauit suam iusticiam & bonitatem, ut de ebrietate & neglectu diuinę uoluntatis puniẽtis commonefacti, peccatorũ causas præcidant. Quod Sichem Dinam filiam Iacob compressit, non est factum sine diuina dispensatione, & in eo declarauit quoq; Deus suã iusticiam, qua huius ocium & curiositas, illius autem uis & impietas puniebatur. Num propterea facinus hoc iustificabimus? Quòd filij Iacob fratrem Ioseph uendiderunt in Aegyptum, Gen. 19.

non factum est sine diuina prouidentia. Sic enim ipse Ioseph fatetur, cùm fratres sceleris sui in conscientia conuicti & accusati, quod de ultima patris uoluntate confixerãt, fratri proponũt. Verba Iosephi sunt: Num Dei possumus resistere uoluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus uertit illud in bonũ, ut exaltaret me, sicut in præsentia cernitis, & saluos faceret multos populos. Num propterea dicemus cogitationes fratrum (cùm dicerent: Ecce somniator uenit, uenite occidamus eum, & mittamus in cisternam ueterem, dicemusq́, fera pessima occidit eum) fuisse iustas? Quin potius Iosephi iudicium sequamur, qui dicit, ipsos cogitasse malum, hoc est, ipsos fuisse coram Deo parricidas, impios in patrem, & qui mẽdacio cogitauerint scelus suũ tegere. Quòd uerò hac mala uoluntate ipsorum Deus bene usus est, quid hoc ad fratres Ioseph, quorum iudicium erat de fratre parricidium? Quòd Absolon patrem regno pellit, & ad concubinas eius ingreditur coram uniuerso Israel, quum non sit factum sine prouidentia Dei, ipse Deus per Prophetam Nathã testatur: Ecce ego suscitabo super te malũ ex domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius &c. Num propterea fœditatem Absolonis iustificabimus, q́ adulterium patris puniebatur? Christus inqt: Necesse est ut ueniant scandala.

Et

Et Apostolus: Oportet esse hæreses, ut qui probati sunt manifesti fiant in uobis. Num propterea & scãdala & hæreses culpatis personis iuxta Grãmaticum probabimus? Quòd Iudas Iscarioth Christum prodidit, certè diuina factum est prouidentia: sic enim scriptũ erat in Psalmis, quemadmodum Christus testatur. sed num propterea iusta fuit proditio, quia hac bene usus est Deus ad totius generis humani redemptionem? Sic enim noster Grãmaticus argumẽtatur R. S. Num hîc dicet ipsam proditionẽ fuisse iustã? Sed Iudam qui hoc fecit ex odio, & corruptũ munere oblato & gratia põtificum promissa, fuisse iniustum. Et in hunc catalogum referendi erunt nobis hæretici, quos Epiphanius appellat Caianos, qui laudant ipsum Cain & Iudam. Iudam cùm bonus esset, tradiderit Christum iuxta cœlestem cognitionem. Nouerunt enim inquiunt Principes, quòd si Christus traditus esset cruci, debilis ipsorum uirtus euacuaretur. Et hoc, aiunt, cùm nosset Iudas, festinauit & omnia commouit, ut traderet ipsum, bonum opus faciens nobis ad salutem. Et oportet nos laudare, & laudem ipsi tribuere, quoniam per ipsum parata est nobis crucis salus. Hactenus Epiphanius. Cum quibus consentire uidetur ferè nostri Grãmatici opinio, nisi ꝙ illi personã pariter cũ facto commẽdant. Hic uerò noster factũ solum, quod ad parãdam salutem nobis profuerit.

Hac ratione iuſtificabimus omnia, non hominum, ſed ipſius quoq; Sathanę in ſanctos Dei iudicia. Cũ Iob teſtetur ipſum nihil quicq; , niſi permittente Deo facere poſſe, & Paulus pronunciet: diligentibus Deum omnia ex Dei bonitate operari in bonũ, quæ Satan illis infligit mala, ſicut in impijs Dei ſunt quoq; iuſticię conſpicua iudicia, quorum executor inſtar carnificis ſed iniuſtiſsimi eſt Sathan ipſe.

Si uerò Grãmaticus opponat de ijs, quæ iam cõmemorata ſunt exemplis non extare ſimilem promiſsionem, qualem de ſummo pontifice adduxit, ſciat tamen non ualere eius conſequentiam, qua aſſerit ſententiam hominum iuſtam eſſe, qua Deus ad iuſticiam ſuã bene utatur. Non enim hoc loco quid Deus faciat aut poſsit facere quęritur, ſed de hominum iudicijs ſermo eſt, quibus obediẽtiam nos debere propter conſcientiam Grammaticus affirmat. Horum uoluntas cùm ſit iniuſtiſsima, & iudicia legi aduerſa, ſequitur ab iniuſticia non excuſari, quicunq; eis obedientiam pręſtant. Nec iudicium Dei effugerunt, quicunq; ſuis ſuffragijs ſententias & iudicia comprobârunt mala, quibus Deus etiam ad ſalutem humani generis eſt abuſus, ſicut infrà docebimus.

Nunc ſatis ſit demonſtraſſe, quàm horribiliter locũ Moſi Deut. 17. deprauauerit Grãmaticus, ut omnia ſummorum pontificum iudicia iuſtificet, cõ

tra manifesta Prophetarum, Christi & Apostolorũ testimonia.

Nunc ad ea, quæ sequuntur accedamus. Postq; Grammaticus blasphema deprauatione sententiæ Moysi de summo pontifice sibi pręclarè fundamentum iecisse uidetur, descendit ad politiam Ecclesiasticam à Christo (abrogatis Mosaicis ceremoniis) institutam, ut doceat eandem promissionem pertinere ad summũ pontificem, quem uocant Papam, qui sit in terra summus Iudex, à cuius sententia non licet prouocare, utcunq; de controuersijs de religione Christiana pronunciet. Fascinatus autem splendore pontificio fingit D. Petrum à Christo constitutum ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ consulem, cui claues portarum cœli dederit. Huic reliquos Apostolos tanquàm senatores adhibuerit. Postea multa cõmemorat, quibus uerbis D. Petrus sit designatus consul. Matth. 16. Tibi dabo, inquit, claues regni cœlorum &c. Quomodo inauguratus cùm Christus illi diceret: Simon Iona diligis me plus his? Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. Quomodo magistratum gesserit habita oratione de eligendo collega in locum Iudæ proditoris, Act. 1. Quomodo suos senatores à calumnia malorum uindicauerit in die Pentecostes, qua tanquam ebrij traducebantur. Cuiusmodi seueritatis speciem exhibuerit in Anania & Saphyra, Acto. 5. Quomodo nouum, sed

inferiorem magistratum creauerit Diaconatum scilicet, unde etiam probare nititur Ecclesiam potestatẽ habere, pro ratione tẽporum aliquid noui, quod in prima parte libelli appellat nouos Articulos fidei, condere. Et impudenter asserere audet, quicquid huiusmodi rerum fiat in Ecclesia, ipso Christo autore fieri per Spũm sanctum. Et sicut uiuente hoc consule & senatu, hoc est, Petro & Apostolis, ita etiã ipsis defunctis per spũm sanctum Christum in horũ successoribus, hoc est, Romano Pontifice & Cardinalibus gubernare Ecclesiam suã. Hortatur etiam, ut singuli suũ officium faciant, quod unicuicꝙ Christus dederit, haud secus, quàm unicuicꝙ membro in corpore humano suũ. Rom. 12. Et hanc esse unicam rationem retinendæ & conseruandæ concordiæ, ut unusquisꝙ nostrum, cuiuscunꝙ conditionis sit, in sese descendat, seipsum noscat, mensuram suæ uocationis officiiꝙ expendat. Hoc postremo loco positum, si expendisset Grammaticus, & ipse sese intra fines suæ uocationis continuisset. Sed ad ea quæ prȩcedunt, quid opus est prolixè respondere? Hȩc enim est pontificiorum uetus cantilena, & à nostris & scripturæ & S. Patrum testimoniis ita confutata, ut si quid ipse melius adferre coner, Soli lumen mutuare uidear. Quòd enim Christus reliquis Apostolis Petrum non prȩfecerit tanꝙ consulem, quæ apud Lucam extat grauissima admonitio testatur.

teſtatur. Nam cùm diſcipuli de primatu contenderent, quis illorum eſſet habendus maior, Chriſtus ab huiuſmodi uanis & pontificalibus, hoc eſt, ſuper bis cogitationibus eos auocat, dicens: Reges gentium dominantur, & potentes uocantur benefici, Vos autē Non Sic, ſed qui maior eſt inter uos, fiat ſicut minor &c. Si quæ inter diſcipulos fuit maioritas, donorū fuit, nō poteſtatis, quæ oīm erat ſimilis, & una ligandi ſ. & ſoluendi. Etſi maximè obtinent, Petrum principem Apoſtolorū fuiſſe, quod nūquam probabūt, poteſtate ſcilicet alīs ſuperiorem fuiſſe (ſicut uidere eſt in Epiſtola ad Galatas, cp à D. Paulo in faciē fuerit reprehenſus) quid hoc ad Romanū Pontificē? Non .n. ſolum Rom. Epiſcopi, ſi tamē, ſed alīj quoq; ſunt D. Petri ſucceſſores, q̄s paſsim Eccleſijs prę̄fecit. Quod autem de conſulis adfert autoritate, cui nefas ſit reſiſtere, quicquid inciues, etiā iniqui machinetur, prorſus diſsimile eſt. Alia enim ratione ſumus ſubiecti politico magiſtratui, & alia presbyteris, hoc eſt, Eccleſię paſtoribus.

Vtcunq; em̄ iniqua onera ſubditis imponat magiſtratus, populus propter conſcientiā tenetur obedire. Rom. 13. Etſi hæc quoq; ipſorum poteſtas ſit limitata, ſi quid contra manifeſtū uerbum Dei præciperet, magis obediendum eſt Deo, quàm hominibus, ſicut exēpla Apoſtolorū & martyrū teſtantur.

Proceres autem Ecclesiæ & pastores, non possunt à suis aliquam exigere obedientiam, nisi quatenus indubitatum uerbum Dei adferunt. Si uerò diuersum prędicent, sub pœna æterni exitij sunt fugiendi, sicut Apostolus ad Gal. 1. docet, & D. Petrus inquit: Si iustum est in conspectu Dei uos potius audire, quàm Deum, iudicate. Cùm igitur iniusta onera imponit Consul ciuibus, ferenda sunt, & sine peccato tolerari possunt, etsi subditus probare non cogatur, cùm is non faciat malum, qui sustinet, sed qui infligit. Quæ autem summus pontifex impia præcipit, ut eadem quoq; faciant, quibus imperat; huic obedire est extrema impietas, sicut Consuli illegitimè resistere, iniqua onera imponēti seditio est. Nec seditio dicenda est pietas, qua impiorum uoluntati repugnant fideles ut gratiam Dei retineant. Etsi nihil magis usitatum sit in mundo, quàm piorum constantiam peruicatiæ nomine traducere, & cultum, quem Deo præstant, seditionis nomine infamare. Hoc nomine ipse Christus malè audit apud Pilatū, cùm principes sacerdotum accusarent Christum: Commouit populum, docens per uniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa usq; huc. Quod igitur de Consule ciuitatis Dei adfert Grammaticus, prorsus ineptum est, absurdum & insulsum. Iustè punitos esse Chore, Abiron & Dathan, cum ducentis quinquaginta uiris, non negamus, quòd Moysi &

Aaroni

Aaroni reſtiterunt, ſuũ officium facientibus. Sed utrumcꝫ probandum incumbit Grammatico: ſuos ſacrificulos conferri ipſi Aaroni & Moyſi: Et Principes, qui ſanctam Euangelĩ doctrinam tuentur, ſimiles eſſe ſeditioſis & maledicis Chore & Abiron, & Dathan. Probent prius ſeſe Moyſen, quàm pios Principes impietatis & ſeditionis noĩe infament per hunc ſceleratum Grammaticum.

Cæterùm putida eſt criminatio, Epiſcopos à noſtris eĩci, ut illorum cathedras conſcendant Principes. Non enim illorum exemplum imitantur, qui Principibus aut ui aut dolo pulſis, ipſorum autoritatem prętextu muneris Apoſtolici uſurpant, quorum officium erat, docere Euangelion, non munda nam dominationem exercere. Quin potius ſuum officium faciunt, cùm ſciant ſui muneris nõ eſſe prędicare, curant Eccleſię idoneos præfici miniſtros, eorum quoꝫ opera, quibus ipſi cùm characterem indelebilem impreſſerint, nihil pręter officium facere dicent, ſi conſentanea Propheticis & Apoſtolicis literis docuerint. Non ergo alienam uocationem ſectantur Principes, dum cultum Dei per idoneos miniſtros promouent.

Quòd uerò non tantum magiſtratui ſuum ius in Eccleſia derogat à Domino conceſſum & imperatum, ſed uniuerſam Chriſti Eccleſiam ſuo priuilegio ſpoliat, quod iam inde ab Apoſtolorum tempo

ribus obtinuit,id nullo modo ferendum est.

Nam quòd Ecclesiæ liceat remouere ab officio docendi indignos & sceleratos ministros, si de hac re meam auersatur sententiam Grãmaticus, audiat D. Cyprianum loquentem: Propter quod, inquit, plebs obsequens præceptis dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito seperare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, cùm ipsa maximè habeat potestatem uel eligẽdi dignos sacerdotes, uel indignos recusandi. Quod & ipsum uidemus de diuina autoritate descendere, ut sacerdos plebe presente, sub oĩm oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Hęc ille. Quæ Grãmaticus noster cũ suo figmento de consule conferens, uidebit mendacium & ueritatem simul consistere non posse. Quæ immanè esset in Ecclesia Tyrannis, eam licentiam sacrificulis concedere, utcunq; enormiter peccent, impia doceant, & flagitiosè uiuant, ut Ecclesiæ non liceat à latere tam fœtidi & malè olentis hirci recedere?

lib. 1. Epist. 4.

Rectè quidem monet Dñm ἀεχηπωιμένα inuocandum, ut hisce malis medeatur, nihilominus tñ & Ecclesiæ eius præcipuũ membrum Magistratus suum non debet negligere officium, quod quale sit ex Cypriano ostẽdimus. Et paulò post exemplo piorum ma-

Magiſtratuum comprobabimus.

Quod de iudicio in alienum ſeruum ex Paulo adfert, prorſus inſulſum eſt, ubi Apoſtolus de temerarijs iudicijs loquitur, ſed quid hoc ad officium magiſtratus, quo tenentur impios ſacrificulos ablegare? Sed quò ſpectet, paulò poſt indicat: Omnia (inquit) toleranda ſunt potius, quàm turbandus ordo ille politicus ciuitatis Dei, quem Deus ipſe cum tanta poteſtate in ea inſtituit. Grãmaticus cùm ſit, non pigeat noti autoris de Grammatica admonere præcepti: fundamenta ſi quis non fideliter iecerit, corruere, quæcunq; ſuperſtruxeris. Quod utinam Grãmatico non excidiſſet. Perſuaſus eſt, ordinem Epiſcoporũ infulatorum, ſacrificulorum & monachorum, diuinitùs conſtitutum, quod cùm conuulſum fuerit, quid hiſce ſuis Maioribus dialecticis præſtabit? Agnoſcimus ordinem diuinitùs inſtitutum non eſſe turbandum. Verùm in hoc ordine mitratos ueſtros & impuros ſacrificulos contineri pernegamus, apud quos neque doctrina eſt ſana, nec uita profeſsione Euangelij digna. Vult ergo impunè licere ſacrificulis quod libet, & ſuo reſeruandos iudici, cui pœnas dabunt. Et quidem ſi hæc de uita intelligat utcunque turpi & flagitioſa, aliqua ex parte quibuſdam toleranda uiderentur. Verùm quòd addit Reges & Principes, in his, quæ ad religionẽ pertinent nõ debere reſiſtere ſacrificulis,

utcunq; illi ſuum magiſtratum gerant, hoc modũ omnem excedit. Ad exempla Ozæ & Oziæ nihil prorſus nũc reſpõdebo, cùm tanta audacia & impudẽtia prętereat ſilentio, quę Brentius ad Sotũ de his ſcripſit, quaſi non legiſſet, quàm diſsimile ſit illorũ facinus, quod ipſe in pios principes retorquet, qui quod ad religionem attinet, ſuum officium faciunt, non quod Epiſcoporum eſt ſibi ſumunt. Hoc ſaltẽ licet in illum retorquere. Cum Grammatico tam ingens & inexpiabile ſcelus ſit, quando pĩj Principes, de inſtitutione Eccleſiarum ſunt ſoliciti, & q̃d in ipſis eſt ſalutem ipſarum procurant, Quæ de Ozia & Oza adduxit, uideat ne in ſuos Epiſcopos rectius torqueri queant, qui prætextu Apoſtolici muneris uerè ſunt ἀλλοτριεπίσκοποι. Si enim, uel ipſo Grammatico teſte, diuerſæ functiones ſunt Epiſcoporum & Principum, quo iure licet Epiſcopis ciuilia exercere iudicia, regere ſubditos, & ius dicere, quibus miniſterium Euangelĩj commendauit Dominus? Num metuunt defuturos Principes, qui hanc adminiſtrationem ſuſcipiunt, Sicut Oza, ne corrueret arca? Aut quæſo, quæ ratio, niſi ambitio, ad hunc dignitatis gradum eos euexit? Si dixerit, Epiſcopos per ſuos miniſtros hęc politica efficere, & in hoc non peccare, quis non niſi cæcus uideret nos eodem iure Principes pios abſoluere poſſe, dum non ipſi prædicant, ſed per idoneos Eccleſiæ miniſtros

ſtros plebem ſibi commiſſam piè inſtitui curant. Et ſi multò ſit melior in hac comparatione Principum quàm Epiſcoporum conditio. Nec tamen principibus Epiſcopis quidq̃ ademptum uolumus, modò omnes intelligant ratione muneris Apoſtolici nihil minus eſſe quàm Principes. Satius igitur fuerit hæc exempla reticere, quæ parum ueſtrorum dominium ornant, et Principibus noſtris animũ addunt, qui ſibi nihil horum conſcĩ ſunt, quæ Ozias & Oza commiſerunt.

Quòd refert noſtros defeciſſe à paſtoribus, hoc eſt, ſacrificulis pontificijs, propter manifeſta quorundam peccata, nonnullorum potentia nimia, opibus ac diuitijs offenſos, uanum eſt. Etſi enim meritò omnes pĩ flagitia ſacrificulorum & ſcelera, quæ paſsim in collegijs impunè deſignata ſunt, & adhuc proh dolor deſignantur, merito deteſtentur: Nec probare poſsint potentiã illam, quam nomine ſucceſsionis cõtra Chriſtum & eius membra exercent. Non tamen hæc præcipua eſt cauſa, cur ab illis ſeceſsionem fecerint noſtræ Eccleſię. Cogimur enim ipſi quoque plurima offendicula tolerare, quæ mallent fideles è medio ſublata. Potiſsima, princeps & unica cauſa eſt, falſa doctrina & idolatria, plus q̃ ethnica, quã ex mandato Dei fugere tenemur. Conſtat enim doctrinam de peccato, de Gratia Dei, de Iuſtificatione, de pœnitentia, de bonis operibus, de

Sacramentis, de Fide, de matrimonio, de ordine politico horribiliter corruptum esse, sicut aliâs demõstratum est, & ad eorum explicationem sese nostri semper obtulerunt, quas corruptelas nec probare, nec suo uel exemplo confirmare, uel silentio tegere possunt. Hæc, inquam, corrupta & deprauata doctrina causa est defectionis nostræ, si ita uobis libet eam appellare fidem, quã Deo saluatori nostro debemus. Fucus igitur est, quòd, quæ in sacrificulis reprehendi queant, reiicit in uitam sceleratam, quam excusare nequit utcunque conetur enormibus flagitijs mitigare, quæ aduersus nostros confinxit.

Etsi enim sua sunt nostrorum quoq; pastorum uitia & errata, Hoc tamen uerè pronunciare possumus, munus docendi, quantum fieri potest non solere cõmitti, nisi idoneis & qui sana doctrina & necessarijs donis instructi sunt, ut populum docere queant, & qui sint honestę uitę. Si qui minus respõdent nostræ expectationi & spei, hoc imputandum est uestræ disciplinæ, in qua adeò impunè illis licuerit omnia, ut iuxta Comici sententiam, non fuerit flagitium sacrificulum scortari, helluari, fores effringere. Hisce moribus corrupti, mirum non est, si qui ad uomitum redeunt, & hos uobis mittimus, tanq;

tanquam non degeneres filios, piorum conuersatione indignos. Cæterùm scelerum conuictis scias apud nos nullos propositos honores, sed infamiã, qua ministerio docendi priuati, interdum etiam capitis pœnam, pro atrocitate delicti subeunt. Pro concesso autem accipimus, quòd Grammaticus non negat, querelam Bernardi de uita & moribus Pontificum Episcoporum & sacrificulorum, etiam in eos quadrare, qui nostro tempore in Ecclesia Dei dominantur: Etsi hoc nomine nulla illi habenda est gratia, quod si inficias iret, res ipsa reclamaret. Non enim usque adeò ignota illorum scelera & flagitia, quos propter doctrinam Euangelij de prauatam & corruptam accusamus.

Quod autẽ infert, Hæc uidet Christus (inquit Bernardus) & silet, hæc saluator patitur & dissimulat. Propterea dissimulemus nos quoque necesse est, & sileamus interim, maximeq; de prælatis nostris magistris Ecclesiarum, Sic nimirùm, sic placet & ipsis, ut euadant nunc humana iudicia, ueniatq; iudicium graue his, qui præsunt, & potentes patiuntur tormenta potenter, quæ sit consequentiæ ratio uideamus. Diuus Bernardus tulit & tolerauit errata & flagitia Episcoporum, Monachorum & sacrificulorum sui temporis. Ergo, eius exemplo, etiam Principes tolerent,

Quis non uidet diuersitatis rationem? Si Bernardus hæc uitia potuisset corrigere, correxisset utiq;. Vtcunq; autem uita fuerit deformis, corruptæ tamen doctrinæ eos non accusauit. Cuius deprauationis cùm fuissent conuicti, quid existimamus Bernardum fuisse dicturum? Ducem cæcum sequendũ esse, ut ambo in foueam cadant? Vtiq; non. Ergo quod Bernardus monachus deplorat, cùm nõ posset emendare, hac sua querela hoc magis excitat piorum Principum animos ad tollenda hæc offendicula, quò magis periculi magnitudinem animaduertunt.

Idem dicendum est quoq;, quod de zizanijs adfert argumentum. Zizania non sunt euellenda. Ergo sacrificulorum errores non sunt abrogandi. Præceptum enim de zizanijs pij Magistratus officio nihil adimit, aliâs non liceret ei in manifestè scelera-tos animaduertere.

Cùm Adriani sexti Confessionem, & Pontificis Pauli Tertij Cardinalium delectorũ consilium admittat, scimus in quo numero sacrificulos habere debeamus.

Sed nunc ad iudicium accedamus. Postq; enim quales sint suæ ecclesiæ hirci ostẽdit, sic enim secundum hunc Grammatitum loquendum est, cui loco bibliorum sacrorum sunt Aesopi fabulæ, Quærit quibus iudicium de doctrina sit committendũ. Solis ne

Solis ne Epiſcopis in ordinaria ſucceſsione conſtitutis, an uerò ſolis Principibus politicis, aut utriſq; ſimul. Hac enim partitione utitur.

Quod ad Epiſcopos attinet, uidetur ipſos non promiſcuè ad iudicium admittere omnes, qui uidelicet ita degenerârunt, ſicut querela D. Bernardi & conſilium delegatorum Cardinalium Romani Pontificis habet. Et in hoc eius accedo ſententiæ. Quis enim Antichriſtis (ut Bernardus eos uocat) crederet iudicium de ueritate doctrinæ Chriſti? Quapropter in eorum locum ſubornat pontifices iudices, qui talibus querelis declarant ſe non degeneraſſe: ſint horum, inquit, legati, Et diſcant, inquit, credere, Chriſtum multò tenerius amare ſponſam ſuã Eccleſiam, quàm ut patiatur eam peruenire in potestatem hoſtis. Rom. 4.

Sed quàm etiam hi non reſpondeant noſtri Grãmatici ſpei & expectationi, res ipſa loquitur. Pauli Tertij Pontificis Max. legatus fuit in Concilio Tridentino Ioannes Maria Montanus. Is & Pontificis & ſuorum collegarum nomine deplorat ſtatum Eccleſiæ, & poſt horrenda ſcelera & flagitia, quibus fatetur ſeſe obnoxios eſſe, in admonitione ad Patres conſilij loquitur. Si Deus pro meritis nos caſtigaret, iam pridem ſicut Sodoma & Gomorrha fuiſſemus. Hi ſcilicet ſunt legati & Pontifices, qui querelis ſuis teſtantur, quàm graue & ſyncerum habeant iudicium.

Ac ne quis putet tam enormium scelerum confessionem esse fictam, & Pontificis & legati uita declarant. Quid enim de sceleribus & turpitudine uitæ Pauli III. Pontificis commemoretur, uel ipse Embricensis ignorare non potest, si quis historijs nostrorum temporum fidem adhibere uelit, quòd uidelicet matrem & nepotem ueneno sustulerit, quòd sororem prostituerit, ut in numerum Cardinalium perueniret, sororem ueneno intereme rit. Quòd cum nepte deprehensus sit congredi. Quòd cum filia Constantia rem habuerit. Maritum eius Bosium Sfortiam ueneno sustulerit, & reliqua, quæ de ipso commemorantur facinora.

Sed ne uideantur legati de sanctissimi Domini Papæ tantum loqui sceleribus, quàm insignis ipse quoque fuerit, ne hoc quidem dicta nostri temporis historia silentio præterit. Is enim postquàm in defuncti locum postea Pontifex creatus Iulius III. appellatus, quo tempore Bononiæ legatus, in delitijs habuerat adolescentem quendam Innocentium. Hunc tametsi reliqui Cardinales minus probarent, imò reclamarent, in Cardinalium adoptauit collegium, & in domesticam cõsuetudinem rursus admisit, eiq; cognomen suum & insignia attribuit. Sed nec ipse Pontifex hoc ad reliquos dissimulabat Cardinales, de quo per iocũ fertur aliquã do cõmemorare, q; sit lasciuus adolescens & importunus.

Hi

Hi duces & anteſignani fuerunt Concilij Tridentini, cui totus orbis Chriſtianus parere cogebatur. Et quidem opinione huius Grammatici rectè, utpote, qui ſuis querelis & mandatis teſtati ſint, q̄ graue ſit & ſyncerum ipſorum iudicium, nec in eo numero habendi, de quibus Bernardus loquitur. O cæcitatem & iuſtiſsimum Dei iudicium in illos, qui ueritatem in iniuſticia detinent.

Cùm Chriſtum reſpuat Iudicem, uideamus quibus argumentis iudicium ſolis Pontificibus & Epiſcopis adſcribat. Omnia autem hoc fundamento innituntur. Epiſcopi & Pontifices & ſacrificuli ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Ergo quicquid iudicant, huic ſine contradictione, nulla diſputatione habita, eſt obtemperandum. Poſtea promiſsionibus Chriſti Apoſtolorum amplificat poteſtatem Conſulis Petri, & reliquorum tanquam ſenatus, quibus etiam Phariſæos adiungit, ut magis confirmata ſit authoritas. Qui uos audit, me audit: Quorum peccata remiſeritis, remiſſa erunt. Tibi dabo claues regni cœlorum &c. Nos, quo ad eius fieri poterit, breuitati ſtudebimus, & ad ſingula capita paucis reſpondebimus, Principiò demonſtrantes, Petrum non habuiſſe primatum ſuper reliquos Apoſtolos, & Eccleſiam CHRISTI, qualem illi affingit noſter Grammaticus.

Deinde ſi maximè talem poteſtatem adeptus eſſet Petrus, nihil ad Rom. Pontificem pertinere. Poſtremò quoniam Chriſtus nulli Apoſtolorum primatum cõceſſerit, non expedire, ut in Eccleſia Chriſti, ſumma poteſtas uni deferatur.

Parem fuiſſe D. Petro Apoſtolum Paulum, aut etiam propemodum ſuperiorem, quæ ad Galatas extant ſcripta, docẽt. Verba Apoſtoli ſunt: Cognoſcentes quòd mihi concreditum ſit Euãgelium prę pucij, ſicut Petro circunciſionis. Nam qui in Petro efficax fuit ad Apoſtolatum circunciſionis, efficax fuit in me erga Gentes. Et paulò poſt: Iacobus, Cephas & Ioannes, qui uidebantur eſſe columnę dextras dederunt mihi ac Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi uerò in circunciſionem Apoſtolatu fungerentur. Hic locus apertè demonſtrat D. Paulum authoritate & poteſtate parem fuiſſe D. Petro, nec paſſum, ut aliquam ſuper ipſum iuriſdictionem uſurpaſſet, ut taceam D. Petrum ab Apoſtolis reprehenſum, quòd non rectè ambularet ad ueritatem Euangelij: quæ quomodo cum Petri conſulatu & primatu conueniant, Grammaticus uiderit. ſuperiorẽ enim reprehendi & coerceri ab inferiore etiam ipſi ἀπρεπὲς uidebitur. Adde & Chriſti præceptum Lucæ 22. Cùm de primatu & conſulatu contenderent diſcipuli, Chriſtus prorſus eum repudiauit. Reges gentium dominantur &c. Vos autem non ſic: Miniſterium

niſterium eſt, non magiſterium Apoſtolorum munus, nõ dominium, quo efficax eſt Chriſtus per ſpiritum ſuum, pro donorum diuerſitate, quibus diſſimiles fuiſſe Apoſtolos, extra controuerſiam poſitum eſt, utcunq; fuerint eadem poteſtate, & eodem ſpiritu pręditi. Petrum à reliquis Apoſtolis, cũ teſtetur Lucas miſſum eſſe in Samariam, quàm nihil ſibi arrogauerit ſuper reliquos Apoſtolos, quibus ſeſe ſubiecit, manifeſtè apparet: ſiquidem inferioris non eſt mittere ſuperiorem, niſi fortè proteſtatione prius facta de ſuo primatu, Petrus collegarum ſiue ſenatus ſui precibus obtemperauit.

Ac niſi pro Eccleſia Chriſti biceps monſtrum nobis obtrudat, Chriſto, qui Eccleſiæ caput eſt, nullũ conſtituere poteſt ſummum uicarium, cùm ipſe ſuę Eccleſiæ adſit, uſq; ad conſummationem ſeculi: uicaria autem opera omnium Eccleſię miniſtrorum utitur, qui paſsim in toto orbe diſperſi, per ſpiritũ Chriſti coniuncti idem ſentiunt & docent.

Quàm uerò D. Petrum Apoſtolus etiam in ordinem redigat, & omnibus ex ęquo omne dominium in Eccleſia adimat, miniſterium attribuens illis erga dominã Eccleſiam 1. Cor. 3. docet. Omnia, inquit, ueſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia. n. ueſtra ſunt, uos aũt Chriſti, Chriſtus autem Dei. Et Petrus 1. cap. 5. Non do

minantes, sed forma facti gregis.

Ex his, ut opinor, liquidò constare uidetur, nec à Christo Diuo Petro aliquod attributum dominium aut consulatum, nec D. Petrum usurpasse, nec reliquos Apostolos sese illi tanq̃ consuli subiecisse, sed parem potestatem datam omnibus, quam pro diuersitate donorum sunt executi.

Quæ adfert duo trita & uulgaria loca ad stabiliendum Petri primatum, ex Matthæo, cap. 16. & Ioanne 20. iam pridem à nostris demonstratum est, quàm nihil probent. Vt enim cõsequentię ratio ualeat, probent prius necesse est, Oues Christi pascere idem esse, quod potestatẽ in omnes Ecclesias habere, nec aliud esse ligare & soluere, quàm toti mundo præsidere. Aut enim reliqui Apostoli non pauerunt oues Christi, aut Petro hisce uerbis nulla data est super collegas potestas, quorum idem officium erat, Christo scilicet oues adducere, qui alimentum & pascua monstrat & exhibet.

Sicut igitur una est sponsa Christi, Ecclesia scilicet sancta, ita & sponsus unus est, cui debetur Ecclesia. Reliquos omnes, si sponsus Christus admittat amicos, ut cum sponso gaudeant, non est quòd de bonitate Dei conquerantur, modò Christo suus honos maneat inuiolatus.

Sed ut demus, D. Petro aliquam uel potestatem uel autoritatem consularem tributam super collegas

gas ſuos Apoſtolos, Quid hæc ad Romani Pontificis faciet comprobandam tyrannidem?

Si nobis ſucceſsionẽ proferant, ſciant non immeritò in dubiũ uocari, an unq̃ Petrus Romã uenerit. Etſi nulla conſequentiæ ratio eſt: Petrus Romæ eſt martyrio coronatus poſt profeſsionẽ Euãgelij. Ergo Rom. Põtifices poteſtatẽ habent ſuper oẽs totius Chriſtiani orbis Eccleſias. Quòd ſi uerò hoim autoritatẽ opponat, parta nobis eſt in hac parte uictoria.

Et ut principio pauca ex concilior̃ decretis commemoremus, q̃ prorſus nullam in alias Eccleſias Rom. Pontifex ſiue Epiſcopus habuerit poteſtatem, planum faciemus.

In Conſtantinopolitano concilio cap. 2. ſic legitur. Epiſcopi, quibus ſua diœceſis attributa eſt, ne in eccleſias, quæ extra fines ſuos ſunt, ſe inferant, neue eccleſias confundant, ſed ſecundum canones, Alexandrię quidẽ Epiſcopus, ea tm̃, quæ in Aegypto ſunt, gubernet. Orientis uerò Epiſcopi, ſolũ Orientem adminiſtrent, cõſerueturq̃ ſua Antiochenę Eccleſię dignitas, amplitudo, autoritas, quę in Nicena ſynodo declarata eſt. Et Epiſcopi Aſianę diœceſis, ſi uepręfecturę, ea tm̃, quę in Aſia ſunt, gubernẽt. Qui in Ponto ſunt, quę in Ponto tm̃. Thracij uerò, ea tm̃, quę ſunt in Thracia. Epiſcopi autem, niſi aduocati, ne in alienã præfecturã ſe inferant, ſiue ad ſuffragia, ſiue ad alias ullas adminiſtrationes eccleſiaſticas.

Huius Concilij canon docet, quemlibet metropolitin ſummum fuiſſe ſuæ prouinciæ Epiſcopum, in cuius fines nullus extraneus, niſi aduocatus, nullo prorſus iure inferre audebat.

Conſtat autem ex Chalcedonenſis Concilij cap. 12. Metropoles, quas ſic appellabant Græci, Principum arbitrio, ac uoluntate in ſingulis prouincijs cõſtitutas eſſe.

Potiſsima adulatorum Rom. Pontificum ratio eſt, ad ſtabiliendam eorum poteſtatem & autoritatem, quam ſibi falsò arrogant, nullum fore controuerſiarum & diſceptationum in Eccleſia finem, niſi unus aliquis ad eas dirimendas in Eccleſia præſit, à cuius ſententia non liceat prouocare cuiquam.

Sed eius uanitatem redarguit Concilium Antiochenum, cap. 16. Si pares ſunt, inquit, Epiſcoporum ſententiæ, ut alij damnent alij abſoluant, metropolitanus Epiſcopus ex propinqua prouincia quoſdã Epiſcopos de eo iudicaturos aduocet, qui ambiguitatem tollentes cum prouinciæ Epiſcopis, quod alteri parti uiſum fuerit, confirment.

Vbi quæſo relictus eſt Rom. Epiſcopus, ad quẽ, ex tua ſentẽtia ſummum iudicium referendũ erat?

Poſt translatam ſedem Imperij Conſtantinopolim, ambitione incenſus eius loci Epiſcopus Ioannes, quibus potuit rationibus, conatus eſt ſibi eã eminẽtiam ſuper Eccleſias aſſerere, quã multis annis

Tyrannus

Tyrannus Romanus exercuit. Sed quibus titulis eum exceperit Romanus Episcopus Gregorius, eius epistolæ testantur, in quibus acerrimè contra hunc titulum pugnat, ne quis sese uniuersalem Episcopum nominet. Dicit enim esse nouum, stultum, superbum, peruersum, sceleſtum, prophanum, in quem consentire idem sit, quod fidem abnegare.

Synodus Nicena uocat fumosum typhum seculi. Nolite, inquit, concedere, ut fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum uidere cupientibus, præfert, uideamur inducere. Nec eius opinioni suffragatur S. Cyprianus, ex cuius sententia non intellecta, conatur probare inde natas hæreses, q uni, uni, inquiũt, in Ecclesia nõ obtemperetur Episcopo summo tanq; Iudici. Cum eo in loco magis illi proposítum fuerat petulantiam quorundam reprimere, qui sine causa metropolitanis contradicentes, nihil nõ sibi in Ecclesia licere arbitrarẽtur. Sed ut uni in Ecclesia totius orbis Christiani primatum tribuerit unquam, huius uanitas ex eodem autore doceri potest, cuius hæc sunt uerba in concilio Carthaginensi: Supereſt, inquit, ut de hac ipsa re, quid singuli sentiremus proferamus. Neq; enim quisq; nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit. Quando habeat Omnis Epi-

ſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanq; iudicari ab alio non poſsit, quum nec ipſe poſsit alterum iudicare. Sed uniuerſi expectemus iudicium Dñi noſtri Ieſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatẽ & præponendi nos in Eccleſię ſuę gubernationẽ, & de actu nrõ iudicandi.

Ex hoc loco Cypriani ſi libet poteſt etiam Grammaticus ſumere reſponſum ad ea, quibus D. Brentium irridet, qui iudicium Chriſti expectandum docet, cùm neutra pars litigantium de ſua opinione quidquam uult concedere. Sanctum martyrem irrideat prius, q; in Brentio hac in parte quidq; culpet. Teſtantur & Prophetarum & Apoſtolorũ præter Chriſtum exempla, quàm non ſit, niſi uana hominum cogitatio, qui hominum iudicio de religione controuerſias committendas putant.

Cùm ἄσπονδος πόλεμος eſſet & Apoſtolis & Prophetis cum ſummis ſacerdotibus, de uero Dei cultu, quis præter Deum ipſum definiuit contentionem? ad quem ueri Dei miniſtri prouocabant, cùm uiderent, quòd ſummus pontifex non iudicaret iudicij ueritatem, ſed ueritatem Dei perueretebat, ad ſuum ſuorumq; quæſtum & arbitrium.

Valeat ergo Embricenſis Grammaticus, cum ſuis peruerſis rationibus, quibus nos à ludicio Dei ad hoĩm cõmenta deducere conatur, quę ueritati nihil poſſunt præſcribere, à qua oẽs fideles pendent, utcunq; hoĩm iudicia uarient, quibus non niſi ppter

uerbum Dñi creditur, cui oĩm hoĩm iudicia ſubiecta eſſe debent & ſunt, præter Antichriſti Romani qui ſe ſupra ſcripturam & oẽm Dei cultum extulit, ſicut Apoſtolus prædixit.

Sed cꝫ non expediat habere uniuerſalem Epiſcopum, nolo meis, ſed Nicenæ ſynodi demonſtrare uerbis, cuius autoritati ſcio uel ipſe Grãmaticus utcunꝫ aliâs impudens nihil derogauerit. Prudentiſſimè, inquiunt, iuſtiſsimecꝫ Niceni Patres prouiderunt, quęcunꝫ negotia, in ſuis locis, ubi orta eſſent finienda. Nec unicuicꝫ prouincię gratiam Spũs ſancti defuturã, qua æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter uideatur & conſtantiſsimè teneatur. Maximè quia unicuicꝫ conceſſum eſt, ſi iudicio offenſus fuerit cognitorum, ad concilia ſuæ prouinciæ, uel etiã uniuerſale prouocare. Niſi fortè quiſcꝫ eſt, qui credat unicuilibet poſſe Deũ cognitionis & examinis inſpirare iuſticiã. Innumerabilibus aũt in ſynodo cõgregatis ſacerdotibus denegare, aut quõ ipſum transmarinũ iudicium ratũ erit, ad quod teſtiũ neceſſariæ perſonæ uel ꝓpter ſexus, uel ꝓpter ſenectutis infirmitatem, uel multis alijs interueniẽtibus impedimentis adduci non poterunt? Hactenus ſynodus. Ad has rationes ſi libet reſpondeat, non mihi ſed concilio Grammaticus. Vt interim nihil dicam de Fauſtino, qui criminis falſi eſt conuictus, cum ſibi ex decreto Concilij primatum ſuper

omnes Eccleſias confirmatum impudenter aſſere/ret. Si quæ ex Gratiano attulerit commenta, qui/bus in locis grauiſsimum crimen falſi commiſerit demonſtrabimus, ut omnes uideant Papatum, & inprimis, quẽ Romanus Pontifex ſibi affingit pri/matum ſuper reliquas eccleſias, non niſi mendaciis & tyrãnide niti, quorum utrunq; huic ſedi celerem ruinam minatur.

Sed ut omnibus huius Grammatici non dico in/ſcitia, ſed execranda impietas innoteſcat, libet hic e/ius annotare rationem, quam ad ſtabiliendam im/pietatem & tyrannidem pontificiorum ſacrificulo/rum affert.

Quid ſi illi (Deo) inquit, placeat per horum iniu ſticiam atq; tyrannidem punire in nobiſmet ipſis, ea quæ ipſi admittimus, qui ſumus membra conſti tuẽtes corpus illud, cuius ille eſt caput. Conſequen tię ratio ut ſit plana, in formã redigamus argumẽtũ.

Deo punienti peccata noſtra non eſt reſiſtendũ.

Deus per ſacrificulorũ impietatem & impurita/tem punit peccata noſtra. Ergo Deo in illis non eſt reſiſtendum, ſed permittendum ſacrificulis, quod ſuſcipiunt & conantur, donec ipſe Deus de eis ſup/plicium ſumat.

Ita me Deus amet, ſic argumentatur furioſus Grã maticus. Certum eſt contemptus uerbi Dei pœnã eſſe errores & corruptam doctrinam de Deo, ideo

quòd

quòd charitatem ueritatis non receperint, ut ſalui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio &c. Pulchra autem eſt ratio, Deus te punit per impietatem ſacrificuli tui, ut ſeducaris & credas mendacio. Ergo non licet tibi aſſurgere ad agnitionem ueritatis, aliâs ipſi Deo reluctaberis. 2. Theſſ. 2.

Hic deſiderantur pueri Faliſcorũ, qui uirgis Grãmaticum hunc in collectionibus melius erudiant.

Iuſta eſt pœna, ꝙ cæcitate percutiuntur, qui ueritatem oderunt & execrantur. Eius pœnę recordatione, ut ſeſe erigant lapſi, & Prophetæ & Apoſtoli monent.

Minatur Eſaias Iſraelitis exitium, cuius cauſa erat impietas ſacerdotum, qui ſua doctrina & exemplis, populũ ad impietatem pertrahebant. Sed ꝙ populus non ſit reuerſus ad percutientem ſe, hoc à Domino illis exprobratur. Tunc aũt fuiſſent reuerſi, ſi impium cultum abieciſſent, quo Deum ad iram prouocârunt: Pereunt ergo non punientis, ſed ſua culpa.

3. Reg. 22. legimus: Cùm Dominus ſederet ſuper ſolium ſuũ, & omnis exercitus cœli aſsiſteret ei à dextris & à ſiniſtris, dixit: Quis decipiet Achab regem Iſrael, ut aſcendat & cadat in Ramath Gilead? Egreſſus eſt autem ſpũs, & ſtetit corã Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo?

Et ille ait: Egrediar, & ero ſpūs mendax in ore oīm Prophetarum eius. Et dixit Dñs: Decipies & prę ualebis. Certum eſt ꝙ Deus uoluerit punire impietatem Achab per pſeudoprophetas. Num ꝓpterea pſeudoprophetis non erit reſiſtendum? Nam, ſecūdum Grāmaticum Deo reſiſtunt, qui ſeſe pſeudoprophetis opponunt, cùm hæc Dei ſint per illorum miniſterium facta iudicia.

Quorſum quæſo euadet furor iſte, ſi hæc Grāmatici conſequentia ualeret, quam in pauca capita redigamus. Certum eſt ſine Deo uolente aut permittente nihil fieri in Eccleſia.

Si fideles & pij fuerint miniſtri in Eccleſia, hoc bonitati Dei eſt tribuendum.

Si uerò fuerint indocti impij infideles & impij, hoc iuſto Dei iudicio eſt adſcribendum, qui peccatis noſtris iraſcitur.

Vtriſq; obtemperandum eſt, niſi uelis Deo reluctari. Si.n. bonitate Dei non ſaluaberis, tñ iuſto Dei iudicio dānaberis, qui ſi melior eſſes, etiā miniſtrū habiturus fuiſſes magis piū & in ſacris eruditum.

An nō hęc eſt furioſi & inſani hoīs collectio? Adde & exemplū Chriſti, quo idem oībus perſuadere conatur ex 2. Pet. 2. Chriſtus, inquit, paſſus eſt pro nobis, nobis relinquēs exēplum, ut ſequamur eius ueſtigia. Vult nos eſſe ſubditos ſacerdotibus, qui ſedent in Cathedra Chriſti, Qualeſcunq; etiā hi ſint,

dum

dum modo tolerat eos Christus. Et iterum, inquit: Quid, ꝙ ipse filius Dei Dñs noster Iesus Christus, in hoc uel prꝫcipuè declarauit obediẽtiam suã, quã prꝫstitit Deo Patri usꝙ ad mortem, ꝙ se illis iudicibus, quantumuis iniquis & impijs iudicandum tradiderit & permiſit?

Maior est hæc blaſphemia, quàm ut uerbis refutetur. Obedientiam scilicet filij Dei eò detorquere, ut seruiat eorum uoluntati, qui r ctè sentientes uolunt impiorum sacrificulorum sententijs subijcere, ut horum dicta tanꝯ diuina oracula sequantur.

Itáne Christus sese suamꝙ doctrinam subiecit sacerdotũ iudicio, paratus eandem quoꝙ abijcere, si ipsi eã tanꝯ hꝫreticã & blaſphemã condẽnauerint?

Hoc scilicet quæritur sceleratissime calefactor. Nulla enim est controuersia inter nos de ea obedientia, quam pij Deo præstant, dum extrema malũt subire pericula, ꝯ impiam doctrinã sequi & amplecti. Eam em̃ filio Dei debent oĩa eius membra. Matthꝫi 10. Lucꝫ 10. Sed hoc quæritur, Cùm sacrificulorum Papisticorum doctrina ex diametro pugnet cũ doctrina Christi, hisce temporibus ex tenebris Traditionum humanarum eruta & resuscitata, num mandato & exemplo Christi teneamur nostra illorum iudicio subijcere, ut quod ipsis libet, sequamur. Et ideo tolerentur in Ecclesia, quia Deus tolerat? Hic Categoricè respondemus:

Tollendi, nõ tolerãdi ſacrificuli.

Impijs ſacrificulis nullo modo eſſe obtemperandũ, & obedientiam, quæ illis fit, non Deo præſtari, ſed ipſiſsimo diabolo.

Subditorum autem munus eſt, quod illis infertur mali, propter defectionem à ſacrificulorum impietate, patienter ferre. Magiſtratus uerò officium eſt, tales nebulones ex ouili Chriſti pellere, illorum impurum cultum abrogare, & operam dare, ut uerus Dei cultus apud ſubditos inſtituatur. Exemplo ſunt Ioſaphat, Ioſias, Aſa, & reliqui, qui ex lege Domini edocti, idolatriam pariter cum idolis ſuſtulerunt. Quod cùm non poſsit, nec debeat fieri ſine iudicio, pauca quædam etiã hoc loco, de iudicio Principum in religionis negotio dicemus. Ad mendacia non reſpondebimus, quibus refertus eſt liber eius. Quòd ſcribit Brentium aſſerere, non ad ſacerdotes, ſed ad Principes pertinere iudicium de religione, manifeſtum eſt mendacium. Hoc enim agit Brentius, ut aliquam partem iudicij uendicet Principibus, quo illi per ſacrificulos excluduntur, ut ſibi ſolis uẽdicent. Eiuſdem generis quod fingit, Eo ipſo quo Principibus tribuitur iudicium, etiam munus docendi in Eccleſia committi. Non ſumus uſq; adeò ſtupidi, ut non intelligamus diuerſas uocationes eſſe magiſtratum gerere, & in Eccleſia munere docendi fungi. Etſi ſecundum dialecticam Romanam ignorantiam hanc excuſare poſſemus. Si enim

prætextu

prętextu Episcopatus, quod Ecclesiasticum munus est, sacrificuli ad Principatus & regna aspirant, fortasse etiam Inuersio suum inueniret receptaculum. Sed ualeant hæ ineptiæ. Nos sicut constanter asserimus, Apostolica functione & uocatione, non nisi docendi ministerium, & administrandi sacramẽta, delectis committi, nullo modo aũt ciuilem Magistratum, quem nec Christus nec Apostoli administrarunt: Ita uicissim Magistratum sui officij admonemus, quod à docendi munere est diuersum.

Dum pia solicitudine curat Ecclesias instaurari, non sibi docendi ministerium arrogat, sed ut ministri suum officiũ faciant, sua authoritate promouet.

Salsè irridet argumentũ Brentij. Sicut Apostoli à Caiapha non sunt missi, sic non opus esse pios ministros ab Episcopis mitti, modo id fiat per Magistratus & populi consensum.

Sed contrà, sciat nos eodẽ loco habere Caiaphã & Romanum Pontificem. Nec tamen humanam, sed Diuinam, adeoq; Christi uocatiõem ex sententia Cypriani agnoscimus, qua Ecclesiæ cõsensu Ministerium docendi idoneis committitur personis. Ait enim, Ecclesiam ipsam maximè habere potestatem uel eligendi dignos sacerdotes, uel indignos recusandi. Quapropter plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore prępositο separare se debet, nec se ad sacrilegi (Sacrificuli D. Cyprianus Epistola 4. lib. 1.

Papiſtici intelligas: Nam hi ex ſententia Gelaſij omnes ſunt ſacrilegi. cap. Comperimus) ſacerdotis ſacrificia miſcere &c.

Cur Ordinem pro ſacramento nõ agnoſcamus aliàs explicatum eſt. Non recuſant noſtri Epiſcopos, qui modo uerè ſunt epiſcopi, non ſaltem noie, ſed etiam reipſa. Quia uero maior pars ſanam doctrinã perſequitur, Eccleſia ad ſuũ ius redit, de quo Cyprianus loquitur, Nec ſibi accerſit doctores ad pruritũ auriũ, ſed qui plebem rectè docere poſsint. Quòd ſi nõ eſt oĩm par iudiciũ, ſunt tñ aliqua et pręcipua mẽbra, q̃ de doctrina rectè iudicare poſſunt.

Quòd uero blaterat noſtros nullo mõ ſacramẽta adminiſtrare, qp non ſint ab epiſcopis raſi & uncti, miror quomodo ſui hũc ſycophantã ferre poſsint. Nõ. n. ignorant hunc eſſe Cypriani errorẽ, quem grauiter confutauit Auguſtinus, Sacramẽta ſcilicet nõ pẽdere ex perſona adminiſtrãtis, ſed uerbo Domini, q̃d ſi ritè obſeruetur, etiam ab hæreticis baptiſmum conferri. Quapꝑ ſi rebus ſuis conſultũ uolent Papiſtæ, deſinant tales grammaticos in nos emittere. Nam metus eſt, ne totũ ipſorũ ædificium euertant, q̃d cũ ex mendacijs & impoſturis cõſtructũ ſit, admodũ circũſpectè eis agendũ cenſeo, ſi ſuos in officio cõtinere uelint, q hac ratiõe elaberent.

Sed accedamus ad ea quæ ſequuntur. Brentius, quid in ludicijs de religiõe & negocio fidei Principibus

pibus tribuendum sit exemplo Theodosij docuit, qui ad se uocauit Episcopos, & controuersiarum, quæ inter ipsos erant, Iudex extitit.

Hic arbitratus est calefactor sese occasionem nactum, ut exagitaret Brentium: Accusat enim Brentium criminis falsi. Quæ est, inquit, illa historia ecclesiastica, quæ hoc habet & libro & eo capite? Et iterum: Atq; hæc dum agit lupus, lectorem decipit falso inditio loci, in quo hæc habeat historia, ne uidelicet lector ad historiam possit recurrere, ut dolũ & mendacia deprehendat, sed lupo credat, historiã ita habere ut ipse recitat. Et iterum: Si ille, inquam, lupus non esset princeps tenebrarum, sed reuera angelus lucis, in quem se dolosis & mendacibus adulationibus transformat, non uteretur talibus exemplis, quale ipse per mendacium suum finxit Theodosium.

Et iterum: Viden' lupe exemplum uerisimum, tuo isti per mendacium conficto ex diametro repugnans? Nondum satis deteguntur mendacia tua & impostura? Nõdum satis apparet quo ordine sum mus ille ac laudatissimus adeoq; diuinus Imperator habuerit episcopos & sacerdotes? Vtrum seruorum suorum, quale tu nefariè tuis istis seditiosissimis mendacijs conaris persuadere Principibus, an potius Iudicũ & ꝑpemodũ dñor̃ suorũ? Quòd si quis sit non angelus mendatiorum & impostura

,, per adulationis fœdus, ab illo tenebrarum princi-
,, pe, ad inęscandum illaqueandumq́ missus, Sed an-
,, gelus lucis ac ueritatis à Patre luminum, ad ea, quæ
,, ab insidijs & laqueis liberant indicandum, uoluerit
,, reges & Principes eorum, quibus tum ipsorum, tũ
,, populi salus continetur, libere quidem, sed salubri
,, ter admonere, q̃ amplam is haberet materiam?

,, Et paulò post: libet enim hoc quoq; adscribere,
,, ut ex descriptione grammatici notæ essent uirtutes
,, Brentij. Iam ne, inquit, ferẽdum est, ut unus aliquis
,, homo ignotus hactenus, nulla re bona commen-
,, datus, sed multis etiam, & enormibus flagitijs re-
,, cens innotescens, sua audacia, conuiciandiq́, & o-
,, mnes infamandi libidine percitus ea conuellat, ac
,, sese censorem totius orbis constituat?

Agnoscis tua uerba grammatice? Ego principiò tibi historiam Ecclesiasticam demonstrabo, quam tanquàm figmentum obijcis. Deinde familiariter de tua in Brentium iniuria conferam.

In Socratis historia lib. 5. capite 10. sic legimus:

ὥριστό τε ἡμέρα, καὶ οἱ παρ' ἑκάστοις ἐπίσκοποι ἐπὶ τὰ βασίλεια κληθέντες συνήρχοντο. παρῆσαν οὖν νεκτάριος μὲν καὶ ἀγέλιος τῆς ὁμοουσίου προεστῶτες πίστεως. Αριανῶν δὲ δημόφιλος. Εὐνομιανῶν δὲ αὐτὸς εὐνόμιος. τῶν δ' τὰ μακεδονίου φρονούντων, Ελεύσιος ὁ κυζικου. Ο δὲ βασιλεὺς δέχεται μὲν τοὺς συνεληλυθότας, καὶ τὸ παρ' ἑκάστου δόγμα ἔγγραφον λαβὼν, κατ' ἑαυτόν τε γενόμενος, ἤυξατο ἐκτενῶς συνεργῆσαι αὐτοῖς τὸν θεὸν πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ὑπολογήν. εἶτα ἕκαστον τῶν γεγραμμένων δογμάτων ἀναγνούς, τὰ μὲν ἄλλα πάντα ὡς χορισμὸν τῆς τριάδος εἰσάγοντα μεμψάμενος ἔῤῥηξε. μόνην δὲ τὴν

τῶ

τὸ ὁμοουσίου ἐπαινέσας ἐδέξατο. Hoc est.

Constituta die, cuiusque religionis Episcopi ad aulam uocati, conueniunt. Aderant igitur Nectarius, & Agelius homousianæ fidei Antistites: Arrianę uero Demophilus: Eunomianę ipse Eunomius: Macedonianæ Eleusius Cyzicenus. Vbi conuenissent, excipit eos Imperator, & accepto cuiusq; dogmatis scripto, seorsim Deum impensè orat, ut SE ad deligendam ueritatē adiuuet. Deinde lecto cuiusq; dogmatis scripto, reliqua omnia, tanquàm separationem sanctæ Triadis inducentia, reprehendit ac rumpit, Solum uerò quod homousianam fidem continebat, laudat & amplectitur.

Hæc sunt Socratis uerba, quæ huc adscribere libuit, ut uideat candidus lector, quàm nihil confinxerit Brentius, quemadmodum tu ipsum falsò, & impudenter traducis.

Bonus Grammaticus nihil historiæ Ecclesiasticæ uidit, præter Eusebium, & historiam, quam uocant Tripartitam, ex tribus authoribus, Theodorito, Sozomeno, & Socrate congestam. Cum ergo seorsim Socratis historiam nunquàm inspexerit, inaudita temeritate & audacia reijcit, & tanquàm per mendacium confictum exagitat, quod ex ea piè ac uerè descriptum est.

Suprà ex Homero ad ostentandam suam eruditionē, quosdam descripsit Grecos uersus. Sed quā-

tũ præstitisset græcã cognoscere historiã, ne tã turpi ter impingeret, sicut hoc loco factũ uidet pius lector. Age ergo adhuc legat, & si palinodiã canere nõ pudeat, saltẽ discat sibi in suis mẽdacijs nõ blãdiri.

Sed ut donemus tibi ignorantiã, qua abũde teipsum hoc libello cõmendas, q̃ causa tibi fuit debachãdi aduersus innocentẽ Brentiũ, de repub. Christiana optimè meritũ? Audit abs te, lupus, mendax, impostor, qui falso inditio loci lectorem decipiat, princeps tenebrarũ lupus (uanũ .n. est effugium, q̃ lupi appellatione nullũ hoiem intelligas. Dum .n. eius organũ Brentium facis, quid aliud agis, q̃ ut ipso diabolo nobis duplo deteriorẽ ꝓponas, qui forma humana indutus, et quasi incarnatus ad circũueniendos hoies circũeat? Et sicut ignis in ferro uehementius urit: ita per hoies, quorũ ministerio utitur Sathan, plus incõmodat Ecclesiæ Christi) ignotus hactenus, nulla re bona cõmẽdatus, sed multis etiã & enormibus flagitijs recens innotescens. His titulis decoras Brentium, qui q̃ recens innotuerit, & qua sit honestate ac pietate, non Embricensis grammaticus, sed uera ecclesiafilij Dei, cui hactenus Brentius suã operã impendit, audienda est. Sed ad ea q̃ in cõfuso tuo libello sequunt, pergã, postq̃ satis demonstratũ est exẽplo Theodosij, q̃d sit officiũ piorũ Principũ in cõtrouersijs religionis dijudicandis.

Quam instituit collationẽ flagitiorũ in Papatu, & dissolutæ uitæ inter nrõs, ferre possemus modò uerũ diceret sycophãta. Ad ea uerò respõdemus paucis.

Dissolutã uitã nostrorꝝ prꝫstare summꝫ illorꝝ sanctimoniꝫ, quꝫ in oculis Dei horribilis est abominatio. De ecclesiarꝝ ministris, qd dicat ipse uiderit. Apud nrõs nõ nisi honesti fouent mariti. Apud ipsos quõ uiuãt in suo impuro & plusq̃ Sodomitico cœlibatu toti orbi notũ est. De simonica auaritia, turpitudine & ruditate sacrificulorꝝ qd dicã? Mirũ si hꝫc mõstra hoim terra nõ uiuos deglutiat. nec opus ẽ hoc loco testimõia mẽdicare aut aliũde petere. Quales sint ex ipsius cõmendatione audiamus, De emptiõe & uenditione sacerdotiorꝝ. Vendi ea pueris, inqt, & indignissimis, nulla ratiõe habita Ecclesiꝫ: unde fieri, ut Ecclesiꝫ aut nullos habeãt ministros, aut tales, q̃ sint toti mũdo offendiculo. Quis credat hũc Gram. sanꝫ mentis esse? cũ hꝫc de suis fateri cogat scelera, nihilominus tales nobis in rebus ꝫternꝫ salutis iudices obtrudere audeat? quibus, utcũqꝫ statuãt, obediendũ esse doceat & iubeat, utcũqꝫ ἀπρωσ diuina tñ oracula esse credamus necesse sit, nisi diuinꝫ puidẽtiꝫ aliqd detrahere, & exẽplum Christi nõ imitari uelimus.

In fine huius materiꝫ, Lyrꝫ interp̃tationẽ carpit, qua sensũ uerborꝝ Christi reddit: Tu es Petrus &c. ut Prĩcipes sumo. s. Ro. Põt. subiiciat, ne qd in religiõe sine eius cõsensu statuant. De q̃ in p̃sentia nihil dicemus, qꝭ nihil prsus adferat noui, q̃d nõ pridẽ sit grauiter cõfutatũ, sicut supra demõstratũ est. Hoc saltẽ obseruãdũ cẽseo, cũ S. patrꝝ interp̃tationẽ tanq̃ indubitatã ueritatis regulã pponat, q̃ in oĩbus sequẽdasit, q̃ sibi nõ cõstet qꝭ ait: Nõ eodẽ mõ scripturã à S. Patrib. explicari, qui cũ sꝫpe nõ tm̃ abinuicẽ, sed secũ ipsi pu-

gnent, unde quęso certitudo doctrinę petẽda erit? Siquidem iudicio Embricensis Grammatici proficere potuerint etiam sancti patres. Quin potius multo rectius suę saluti cõsulant fideles, si scripturã
2. Timo. 3. sacram sequantur, De qua Apostolus ꝓnunciat ad Timot. Quę te sacrę literę, inquit, possunt instruere ad salutẽ, per fidẽ quę est in Christo Iesu. Et hæc quidem Apostolus de Prophetarꝝ libris uestro iudicio obscuris, cũ nondum noui testamenti extaret scriptura, quę ueteris est cõmentarius. Horꝝ collatio si nullam lucem faciet ad eruendã ueritatẽ, nõ uideo quid ex hoĩm cõmentis plus doceri queat. In hũc ordinẽ etiam Cõcilia rectè rediguntꝰ, ꝙrꝝ ratio si ex scriptura doceri nõ potest, pro uanis hoĩm cõmentis oĩa ipsorꝝ decreta merito habẽtur. Et qui fuerunt ex eorꝝ numero eruditi ac pñ, nunq̃ de hoc supercilio somniarũt, ꝙd sibi falsò spurñ uendicãt, q tanq̃ γνήσιοι ipsorꝝ filñ gloriãtur iure hęreditario, ꝙ Iudæ Iscarioth succedũt Apostolo, ne ipsorꝝ Sedes Apostolica appellatione fraudetur.

Est prætẽrea ꝙd odiosè sæpe ac passim in libello suo inculcat argumentũ, ut autoritatẽ sacrificulorꝝ maxĩè uerò Rom. Pontificẽ tueatur. Esto, inquit, uera sint, quę de sacrificulis cõmemorãtur flagitia: sed nũ ꝓpter hęc sese separare debẽt auditores, nec illorꝝ stare debẽt iuditio? Absit, inquit, modo ecclesias Dei & sanctorꝝ sepulchra ornent, presbyteros, Diaconos & Episcopos ordinent. Quàm

Quàm ſtulta eſt noſtri grammatici ratio, qua tantum onus ſuſtentare ſe poſſe confidit, ꝙ iuſta querela Eccleſiæ de ſacrificulis ei oſtenditur. Num hoc ueſtri ſummi Epiſcopi munus eſt, Prophetarum ſepulchra dealbare, mitratos epiſcopos Eccleſijs obtrudere, quibus pompa & luxus, nullo modo autẽ oues Chriſti curę ſunt? Ordinare indoctos Diaconos, & impuriſsimos ſacrificulos, quales ex tua deſcriptione habemus? Quin potius ſi nulla ſubſit, hæc ſola ſufficiat ratio, ut Principes ſui muneris cõmonefacti, hoſce tanq̃ fures & latrones ex domo Dei eijciant.

Hæc ſunt ex Embricenſis deſcriptione pij paſtoris officia, quibus ſi quis non uidet Phariſęos notari, cæcus eſt, à quorum impietate ſi quis ſeſe non ſeparauerit, ſciat ſeſe partem ſuam cum Phariſæis habiturum.

Si uerò dicat: Propter impuram uitam ſacrificulorum nos non habere iuſtam cauſam ſeparationis ab illorum officio, quod ritè obeunt. Suprà reſpondimus, impuram uitam non eſſe potiſsimam huius ſeparationis cauſam. Qui em̃ polluti ſunt, ſibi ipſis polluti ſunt, etſi ne tales quidem Cyprianus ex Apoſtoli ſententia tolerandos cenſeat, cùm plus deſtruant exemplo, quàm doctrina ædificent: ſed hoc potiſsimùm in eis reprehenditur, quòd ſint ſacrilegi, deprauatores ſacrarum literarum, duces cæcorum,

fures & latrones, q̃ nullã ferè partẽ doctrinę Christi ang incorruptã reliquerint. Hos errores nolunt sibi demõstrari, hos mordicus retinẽt, gladio, igne, & oĩ genere tormentorũ persequunt̃, q̃ contra musitãt.

Hîc nobis bonus ille Grãmaticus persuadere conatur subiectionẽ & obedientiã, & nõ ueretur culpa liberare q̃tquot sese illorũ decretis subiecerint, Exẽplo Christi, de quo ait impudẽs os, q̃ Pharisęis nullo uerbo fuerit obstreperus, quorum mores tm̃ reprehenderit & increparit propter enormitatem peccatorum, cùm toties eos appellauerit duces cęcorũ, q̃ ex Patre diabolo sint, quorum doctrina sit instar fermenti &c. Quid non audeat, quem tanti sceleris non pudet, ut pronunciet Christum sese Pharisæis subiecisse tanq̃ rectè iudicantibus & monentibus?

Ex omnibus quotquot Babylonicum scortũ contra nos eduxit hostibus, meo quidẽ iudicio, nullus adeò enormiter blasphemus fuit conuiciator, atq̃ hic est Grãmaticus, quod ego magna ex parte ignorantię eius tribuo. Nam quid mirũ si de rebus prorsus incognitis minus reuerenter & circumspectè loquitur? Cuius furorem si probauerint Papistæ reipsa demonstrabunt nobis q̃ illudant Deo & hominibus. Nec opus puto aliqua confutatione, sed certò statuant oẽs Christi fideles, iam iam imminere ac præ foribus esse Antichristi & Papatus etiã externã ruinã, de qua Apostoli sunt cõcionati. Hęc enim extrema uox Antichristi est, quę in se oẽs blasphemias

cõplectitur, antea quidẽ etiã cantatas, ſed tãta impudentia uix unq̃ effutitas: iuſtificare. ſ. iniuſtum & impiũ Phariſeorũ iuditiũ, ut tyrãnis Papatus ſtabiliat̃, & pñ Principes è ſtatione ſua pellant̃. Quoniã uerò pñ Principes ſemel manus admouerũt aratro, & certò ſciunt, hoc genus hoĩm ad oẽs admonitiões & obſecrationes obturaſſe aures, ſtrenuè in purgãdis ecclеſijs & regno Chriſti ꝓpagando pergãt. Nec ſibi iudiciũ Dñi metuẽdum ſciant, cùm ſuũ officiũ in Ecclеſia fecerint, illorũ minas ſpernant, defenſionẽ à Deo expectẽt, de cuius honore & noſtra ſalute agit̃, Qui haud dubiè ſucceſſum dabit ſperatũ, modò integro corde coram illo ambulemus. Nec prętextũ uerbi aut licentiã carnis, aut opes & facultates quęramus, quorum alterum infauſtum eſt, poſterius aũt ipſe Dñs cumulatè regnũ ſuũ quęrentibus adñciet.

Quàm friuolas aũt, imò q̃ blaſphemas rationes adferãt, qui hanc curã cũ ueſtra uocatione & officio pugnare clamitãt, hic blaſphemus Grãmaticus docet. Quin potius piã libertatẽ arripite, quã uobis filius Dei offert, ſolutis tenebrarum uinculis, quibus Antichriſtus ſua tyrannide, ſuis impñs & ſuperſtitioſis legibus ferè totum orbem ſibi ſubiecit.

Exẽplo uobis ſunt pñ reges ueteris teſtamẽti, q ꝑ Prophetas moniti, impiũ cultũ Dei à maiorib. inſtitutum abrogârunt. Exemplo eſt pius Theodoſius, nõ ꝑ mẽdaciũ cõfictus (ſicut mẽdax os Grãmaticicũ

sui nominis summa turpitudine clamitat) sed histo ria demonstratus, qui sibi iudicium sumpsit de con trouersijs, quæ tùm Ecclesiam exercebant, & inuo cato noie Dei, elegit ac defendit fidē, quā scripturis sacris cōprobatam uidebat. Nec patiebatur sese in eam redigi seruitutē, qua Embricensis Grāmaticus pios Principes ex iudicio sacrificulorum pendere frustra ex suis fabulis Aesopi suadet. Si quos uidēt periclitantes, de bonitate causę, propterea nunq̄ dubitauerunt. Qua ratione etiam nunq̄ religionē Christianam sibi persuaderi passi fuissent, Postq̄ ἀρχηγὸς ἡμῶν noster Christus non nisi per crucem ingressus sit in suā gloriam, Ex cuius ore Apostolus pronunciat, Per multas tribulationes penetrādum esse ad ęternum piorum gaudium. Considerent, se se grauissimam Deo reddituros rationem, si subditorum æternam salutem non procurauerint, quos sciunt gementes impijs legibus teneri. Terrorem incutiant exempla regum, quos unà cum posteritate deleuit Dominus, quòd auitam impietatem mordicus retinerent, suoq̄ exemplo & autoritate populum (ut Scripturæ uerbo utar) peccare fecerint. Minime sese peccare sciant, efficiendo turpes sacrificulos. Eos tanquam pastores ecclesijs præfici uidere, tolerare, tueri, quid aliud est, quàm se Deo opponere? Nec est q̄ de ui conquerantur, quibus mutatio doctrinę & ęremoniarum non alia ratione propo

nitur,

nitur,quàm si sua tueri nequeant. Ad quam collationem passim sese obtulerũt, qui missificatores suo priuârunt munere,honestè tñ, utcunq; malè meritis prospicientes,cùm ipsi nõ nisi crudeliter gladio, & igne in nostros sęuiant & argumenta soluant,quibus uerbi diuini autoritate nullo modo sese opponere possunt. Sicut haud ita pridẽ magni nominis Episcopus in comitijs Imperialibus, pro concione dixisse fertur: Si nos(Papistæ)patiemur nos eò adduci,ut ex scriptura nostra cõfirmemus, multis modis causa cecidimus.

Cùm igitur pñ Principes ea solum amouerint, quæ cum sacris literis pugnant, sciant se omnibus rationẽ sui facti reddere posse,præterquàm ijs,quorum doctrinam nisi damnent,salutis æternæ rationem nondum probè perspectam & cognitã habent.

Hactenus de piorum Principum & magistratuũ officio,quantum illis tribuat uerbum Domini,contra blasphemas criminationes Grammatici huius, cur in suo officio cessantibus aut reclamãtibus Episcopis & sacrificulis & monachis,ipsi minimè cessare teneãtur:ubi rationes & argumẽta ex προλεγομένοις Brentij repetere nolui, sed solum propositũ habui, impietatem huius calefactoris demonstrare, quàm infœliciter labascenti causę Papistarum succurrere, & manus auxiliares præbere sit conatus,Cuius uocatio erat, fabulam Aesopi de hirco explicare, nec

cũ tãta nota turpitudinis ſuos Epiſcopos infamare, à q̃bus, niſi deſipiãt, ut opinor, malã gratiã reporta-

Poſtq̃ ſtatum libri confutauerimus, operę (bit. precium fuerit, etiã ad reliqua breuiſsimis reſpondere, quibus ferè oẽs partes doctrinę noſtræ inſtar rabioſi canis allatrat Grãmaticus. Vbi ſimul & eius apologiam examinabimus, quã aduerſus bonũ uirum, quiſquis is fuerit, emiſit, cui iudicium huius, de ſanctiſsimo uiro Luthero improbatur, cui propter ſua eximia & ſingularia in ipſos merita Pontifex Rom. cum toto ſenatu Cardinalium ſtatuam debebat, ut ſanctiſsimi uiri Lutheri, & eius meritorũ nunquam intercideret memoria.

In libello de diſsidijs componendis Duo præcipuè in Luthero ſanctæ memoriæ Dei uiro reprehẽdit, Vitam ſcilicet & doctrinam, ꝓpter quæ in Apologia ſuũ temerarium excuſat iudiciũ, qui ſcripſerit eum iam apud inferos ardere. Id quàm iuſtè fecerit breuiter demonſtrabimus.

Quòd uitam monaſticam deſeruerit, & uxorem duxerit, Embricenſi Grãmatico ſcelus eſt non niſi morte expiandũ, ſiquidẽ uota reddenda ſint Dño. Verùm bonus uir, dum uerã rationem uotorũ non intelligit, nemini mirũ uideri debet, ſi minus aptè colligat. Scriptum fatemur: Vouete & reddite. Sed uiciſsim non ignorat, tm̃ ea uouenda eſſe, quæ ſunt in nrã poteſtate, quæ piè & honeſtè ſeruari poſſunt.

Et

Etq̃ nõ ligent ſtulta uota, apud eos perquirat, à quibus hos canones accepit. Non aũt eſſe in noſtra poteſtate uirginitatẽ cuſtodire caſtam, Chriſtus ipſe docet. Non oẽs, inquit, capiunt uerbum hoc. Cùm ergo ſingulare ac particulare donum Dei ſit, quod Deus nunc concedit nunc denegat, quæ tyrãnis eſt, ordinatione diuina reclamante, conſcientias ligare ſtulta promiſſa, quã ſine pollutione animę & corporis ſeruare nequeunt. Stultè ergo egerunt hoĩbus obtemperantes, q̃ uouerint, quæ non ſint in ipſorũ poteſtate. Impietas aũt eſt, reclamante & urente natura, ordinem diuinitus traditum non ſequi. Addeetiam hoc ſi libet, caſtitatem uouiſſe, quotquot in eiuſmodi ſpeluncas ſunt detruſi. Eam aut impiè negabis in matrimonio quoq̃ eſſe, adeoq̃ oẽs coniugatos turpitudinis nota infamabis, aut fateberis neceſſe eſt, qui, ut Paulino uerbo utar, τὸ πυρεύεσθαι in ſe experiuntur, cui nullis exercitijs ſeſe reſiſtere poſſe uident, dum ordinationi diuinæ ſeſe ſubijciunt, nihil prorſus in Deum peccare.

Hîc enim nulla ratio habenda eſt uel traditionũ humanarũ uel promiſsionũ ſtultarum, cùm homo uidet ſeſe ad ordinationem diuinã trahi, cui obtemperandum eſt, ne te nefanda libidine polluas. Cuius exempla tam horrenda paſsim extant in omnibus ferè collegijs, ut ad eorum cogitationem oẽs pij toto corde perhorreſcãt. Quę, niſi tenerę & bñficio

Dei horum pluſquàm Zodomiticorum ſcelerum ignaræ iuuentuti parceretur, iam pridem toti orbi fuiſſent demonſtrata. Intelligis ſcilicet Grãmatice, quid uelim, ſi tamen non etiam cum intellectu ſenſum communem amiſiſti?

Quæ ergo de uotis affert, aliâs refutata ſunt, ut mirer qua audacia Grammaticus hæc denuò afferre in medium audeat. Ad locum Ambroſij admodum ineptum hoc iam reſponſum Grammatico damus. Si probauerit nobis, idem eſſe ad altare uelari, tonderi, in monaſterium detrudi, quod Chriſto deſponderi, parati ſumus ſanctiſsimi uiri Lutheri lapſum unà cum ipſo etiam anathematizare. Quod cùm nunc̃p præſtare poſsit, fruſtrà Luthero, tanc̃p crimen obijcere poterit: & nos ipſum tantiſper contra criminationem Grammatici abſoluemus, donec diuerſum edocti fuerimus per hoc Theologorum Louanienſium monſtrum ex Embricenſi ſchola euocatum. Eraſmi inconſtans de Luthero iudicium hac in parte non moramur. Cui quomodo religio uera & ſyncera cordi fuerit, ipſe in quadam ad Vuilhelmum Montioium Baronem Epiſtola prodit, ubi ſcribit, Se malle in nonnullis falli, quàm cũ tanto tumultu Orbis pro Veritate digladiari. Hoc ſcilicet eſt Apoſtolicum, fauorem hominum ueritati Euangelicæ præferre? Si hominibus placerem, inquit Apoſtolus, ſeruus Ieſu Chriſti non eſſem.

Quàm

Quàm uanũ etiam ſit, q̃d põtificius adulator ſcribit de omnibus ijs, qui doctrinam reuelati Euangelij ſequuntur, res ipſa demonſtrat, uidelicet, Quotquot ſeſe nobis adiungant, exuant prorſus hominem. Nolumus hìc odioſam inſtituere collationem humanitatis noſtrorum & crudelitatis ueſtrorum, quã multi ſancti martyres ſunt experti: Modò omnibus hęc uanitas innoteſcat, qua ueritate deſtituti, ad criminationes confugitis tanquam extrema præſidia. Sed quęſo te, ne poſthac ex Eraſmo aduerſus nos adferas teſtimonium, ne cogas etiam inuitos de ipſo pronunciare, quibus mallemus defuncto, & de literis humanitatis benè merito parcere, cuius teſtimonio, ſi quid aduerſus nos probare uolueris, prius hæreſi abſoluas neceſſe eſt, qua nuper in Concilio Tridentino per tuos notatus eſt tanquam hæreſiarcha, qui hæreſin introduxerit, quã Lutherus perfecerit. Doctrinæ capita, quę in Luthero & diſcipulis eius reprehendit, ſunt multa, quę etiam in Apologia repetit nugator, ad ea etiam breuiter reſpondebo.

Primum eſt, q̃ autoritatẽ ſacrificulorũ ita apud imperitam multitudinem traduxerit, ut illos ab officio ſuo arceret. Et q̃ ſuſtulerit Omnia, Omnis diſciplinę præſertim Eccleſiaſticæ repagula.

Seſquipedale hoc eſt mendacium, & cõmentum Grãmatici. Lutherus, ut autoritatem Epiſcoporũ

tueretur, monitor fuit sedulus, ut ea cauerent, & nõ admitterent, quæ cum officio ipsorum pugnare uideantur. Eius generis erat immodicus luxus, nefandæ libidines, prętextu castitatis, Mercatus indulgẽtiarum, nundinationes Missarum, Traditiones humanæ, quæ diuinis pręceptis pręferebantur, & miseræ erant conscientiarum carnificinæ, & quod maximũ est, ut idoneos præficiant ecclesijs ministros, quas magna ex parte nõ nisi indoctissimi & turpissimi de Epicuri grege porci occupauerãt. Sublata hypocrisi, uera disciplina & Euangelio digna instaurentur. Hęc, inquam, monere, est tibi autoritatem Episcoporum eleuare? Inter personas & officium probè distinguas Grammatice, quæ si malè cõsentiant, iniuria succẽses in personas peccanti, qui ordinem cupit restitutum.

Autor certè fuit & hortator pijs Principibus, dũ non tantum cessarent, sed recalcitrarent Episcopi & sacrificuli, ut miserati salutem subditorũ, ipsi de reformandis ecclesijs cogitent. Quod cùm per gratiã Dei perfecerit, hoc magis Deum laudamus, pro tanto nobis oblato beneficio, quò magis tibi ac tuis dolet.

Piè & rectè negauit utrunq; Lutherus, Non esse in manu Ecclesiæ, necq; articulos fidei, nec leges bonorum operum condere.

Nam quod de lege matris ex Salomone adfert, mani-

manifesta est eius loci deprauatio, ubi Salomon liberos instituit, ut colant parentes, non patrem solum sed etiam matrem,& docet, quod illi præceperint, non sint hominum præcepta,sed diuina iussa &mandata. Hoc ineptus Grammaticus per allegoriam ad Ecclesiam refert,quod suis Scholasticis sophistis non inusitatũ est,Quibus scriptum est quid uis, cuius sententijs instar cerei nasi ad omnia deliria & figmenta accõmodare seu potius trahere possunt. Necꝫ pater necꝫ mater condunt legem,sed diuinam legem sibi traditam explicant & euoluunt liberis.

Multò maior deprauatio est,quam subiungit de Lucerna. Quorsum autem,inquit, attinebat adijcere illud de lege matris,si mater nullũ habet ius condendi legem? Quin imò mandatum patris lucernã dicit,legem autem matris, eiusdem lucernæ lucem. Quid prodest habere lucernam,si nõ luceat? Quid prodest habere preceptaDei, scripturam diuinam, si non accedat à lege matris Ecclesiæ lux ueri intellectus? Vide quò hominem adigat insania. Scilicet iudicio huius Grammatici in familia prestabit materfamilias patri,si doctrinam spectes,siquidem pater est tantum lucerna, uxor autem est lux lucernæ, sine qua patris doctrina non lucere potest.

Sicut autem hæc à Grammatico conficta œconomica lex intolerabilis est, ita allegoria, quam inde

extruxit, est extremè blasphema, uidelicet, patrem cum filio esse lucernam, legem uerò matris Ecclesię esse lucem. Quid hoc aliud est, quàm dicere Deum Patrem, cum suo uerbo, hoc est, filio, qui æternum Patris uerbum est, & scripturam sacram, cuius lectione per spiritum Christi illuminantem corda nostra in utriusq; cognitionem peruenimus, tenebras dicere, Traditiões uerò humanas lucem? Potest ne maior blasphemia à quoq; in Deum & uerbũ eius excogitari?

Si de sua Ecclesia loquitur Grammaticus, quam colluuie impurissimorum sacrificulorum & monachorum definit, dicimus eam lucem esse, sicut stercus uaccinum aut equinum in lucerna.

Quid enim aliud sunt traditiones uestrę, quibus mundum repleuistis, quàm obscuratio mandatorũ & promissionum uerbi Dei?

Si uerò de Ecclesia Christi & sponsa eius loquatur, scimus hanc in seipsa consideratã tenebras esse, sicut dicitur: Vos quondam eratis tenebræ, uera autem lux est Christus. Erat ille lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ. Et iterum: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris. Homines uero in Christum credentes, & quorum corda Christus per fidem inhabitat, sunt instar lucernæ, in quibus hæc lux lucet. Et hoc est quod D. Paulus addit: Nunc autem

lux

lux in Domino: hoc est, Dominus ipse est lux, cuius participatione & uos instar lucernæ (quæ sua natura, ut sic loquar, cæca est, nihil neque uidens, neque illuminans) illuminati estis. Sic & Basilius.

Τίς ἂν εἰς τοσαύτην ἐξέλθοι μανίαν, ὥστε ἀφ' ἑαυτοῦ τολμῆσαί τι καινίσειν ἐννοίας λαβεῖν ὁ τοῦ κυρίου μὲν τοῦ ἁγίου καὶ ἀγαθοῦ πνεύματος χρείαν ἔχων, ἵνα κατευθυνθῇ εἰς τὴν ὁδὸν τὴν ἀληθείας κατά τὸν λόγον καὶ πρᾶξιν, τυφλὸς δὲ καὶ ἐν σκότει διάγων ἄνευ τοῦ φωτὸς τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ φωτίσαντος ὥσπερ ἀκτῖσι ταῖς ἑαυτοῦ ἐντολαῖς. ἡ γὰρ ἐντολὴ κυρίου φωτίζουσα ὀφθαλμούς.

Vtitur autem utroq; uocabulo promiscuè scriptura Psal. 119. Lucerna pedibus meis uerbum tuū, & lumen semitis meis. Ordinem autem rerum inuertere furor est & insania.

Mater enim Ecclesia, si quid præciperet, à patre non mandatū, eo loco habendū esset, quo Christus pronūciat ex Esaia: Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum. Si uerò eadem sunt matris, quę & patris mandata, ubi tua lux consistet, quam lucernæ patris addere uoluisti fabulator? Non erat ille lux, dicitur non de Baptista solum, sed omnibus hominibus. Ex quorum numero, qui illuminati sunt luce uera, quæ est Christus, etiam lux appellantur, ea uidelicet ratione, qua ueram lucem participant, illuminati scilicet non illuminantes.

Nulla igitur sunt matris Ecclesiæ præcepta, nisi quæ Pater prior mandauerat, quæ si mater ex spū

patris ſuis filijs tradat, propriam legem non dicitur tradere. Si quid enim patris mandato repugnat, falſò Eccleſiæ nomen ei prætexitur. Ac uerè in tuam Eccleſiam dicitur: Si lux quæ in te eſt tenebræ ſunt, Tenebræ quantæ erunt? Si non habetis aliam lucẽ, quàm deliria & commenta ſophiſtarum, in quantis quęſo & inextricabilibus tenebris degitis?

De conſuetudine quod adfert Grammaticus ex Paulo, quàm eſt inſulſum. Si quis autem uidetur cõtentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei. Num tibi ſola conſuetudo eſt Eccleſiæ, & non expreſſum mandatum Dei prohibens contentiones?

Quòd uerò ſubiungit, ideo Eccleſiæ matris legẽ odiſſe Lutherum, quia fuerit leno turpiſsimæ meretricis (uxoris ſuæ) à qua ipſum cuſtodire potuiſſet. Hoc nemo niſi ſcurra de Luthero dicere poteſt, quàm ſanctè enim & honeſtè uixerit cum coniuge teſtes idonei ipſorum cõuictores eſſe poſſunt. Sed ſi examinare uelimus huius Grammatici matris Eccleſiæ, hoc eſt, turpiſsimi ſcorti babylonici legem de cœlibatu, totus mundus loquetur, quomodo ipſos ſacrificulos & monachos à muliere mala & à blãda lingua extraneæ cuſtodierint. Quin potius ſumma turpido iſtorum hominum docet, legem de cœlibatu nihil aliud fuiſſe, quàm quod Apoſtolus dicit, doctrinam dæmoniorum, quam ſecutę ſunt horrendæ

tendæ & nefandæ libidines.

De altera parte, quòd Ecclesia non habeat potestatem condendi articulos fidei, mihi nihil prorsus dicẽdum putabam, quòd non existimem post contuta Sophistarum deliria, quenq; adeò insanum esse, qui diuersum sentiat. Quia uerò etiam hac in parte miserè exagitat Lutherum Grammaticus, ruditas sua ei demonstranda est.

Exemplis docet, Ecclesiam habere potestatem cõdendi nouos articulos fidei. Dic mihi ergo, inquit, quis statuit illos duodecim articulos, quos adhuc habemus regulam fidei nostræ? Apostoli, inquies. Nam inde dicitur symbolum Apostolorum. Recte respondisti.

Sed cùm hoc facerent Apostoli, in ipsis Apostolis fuit Ecclesia. Igitur Ecclesia constituit illos articulos. Cùm impius ille Arrius turbaret Ecclesiam, blasphemo illo suo dogmate de filio Dei, quis condidit hunc articulum, ut credamus, Dominum Iesum Christum esse non factum, sed genitum, de substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex lumine, ὁμοούσιον Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ: Quis inquam condidit, quis cõstituit (ut Lutheri uerbo utar) hunc articulum fidei? Nónne Ecclesia? Hæc enim erat tunc in illis trecentis octodecim Episcopis, quemadmodum in Apostolis, quando condiderunt & constituerunt prius illud Symbo-

bolum. Hactenus Grammaticus.

Quid ad hæc dicemus? Nondum agnoscis stoli ditatem Grammatici, ut qui nihil prorsus in sacris literis intelligat? Sed paucis sic accipe, etsi indignū est ad hasce tam crassas nugas respondere.

Si Apostoli primùm hos fidei articulos condiderunt, sequitur, prius ignotos fuisse Ecclesiæ quæ Apostolorum tempora præcedebat. Ad hoc respō deat si potest, acutus dialecticus. Quid quęso crediderunt sancti Patriarchæ, si ignorassent Deum conditorem & conseruatorem omnium, Christum redemptorem, Spiritum uiuificantem, Vnde testimonia mortis & resurrectionis suæ deprompsit Christus, dum ruditatem suorum discipulorum reprehendit. Nolo enim hic Prophetarum testimonia omnibus nota commemorare. Si uerò de passione Christi, de morte, descensu in infernum, resurrectione, ascensu in cœlum, aduentu eius ad iudicium, de spiritu eius, de remissione peccatorum, de carnis resurrectione & uita æterna certi fuerūt, quæ insania, aut quis furor est dicere, Apostolos & Ecclesiam in Apostolis nunc primùm hos articulos condidisse?

Sic etiam respondendum est ad articulum de diuinitate filij. Si Nicena synodus primùm eum condidit articulum, ut Christum uerum Deum & æternum filium Dei agnoscamus & credamus, Se-

qui-

quitur non tantum ſanctos Patriarchas & Prophetas, ſed etiam ipſos Apoſtolos ignoraſſe. Sed quis ſanæ mentis auſit hoc cogitare? Dauid ait: Dixit Dominus Domino meo. Abraham deſiderauit uidere diem Chriſti. Micheas dicit egreſſum eius eſſe à diebus æternitatis. Ieremias ait, & nomen eius, q̃ uocabũt eum Iehoua iuſticia noſtra. Eſaias appellat eũ Emanuel: &ca. 9. Deum fortem. Petrus ait: Tu es Chriſtus filius Dei uiui. Thomas ait: Deus meus. Ioannes Euangeliſta: Et Deus erat uerbum, & per ipſum omnia facta ſunt, & uidimus gloriã eius qua ſi unigeniti à patre. Sed quid ego hæc commemoro omnibus nota, quibus blaſphemus error Grammatici refutatur, qui nobis hunc articulum à 318. Epiſcopis Niceæ primùm conditum obtrudat.

Deinde etiam hoc prępoſterum eſt, quòd ait Eccleſiam in ipſis Apoſtolis & Epiſcopis fuiſſe, ut ſuũ figmentum de ſtercore uaccino ſtabiliat, Cùm dicere debuiſſet, ſpiritum Chriſti in ipſis fuiſſe, qui per Apoſtolos tanctę membra & miniſtros hæc Eccleſię ſuæ tradiderit ueritatis doctor.

Nam prorſus abſurda eſt locutio, qua aſſerit Eccleſiam fuiſſe in Apoſtolis. Sic enim dicemus Simeonẽ, Mariam, Paſtores, Zachariam, tria millia credentium &c. in ipſis Apoſtolis fuiſſe.

Quàm ſalſè irridet Lutherum, qui nobis Chriſtum tanctę articulum fidei obtrudat? Quid quæſo

credat is, qui hoc non crediderit? Cùm D. Paulus ad Corinthios scriberet: Non enim iudicaui me scire aliquid inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, quid putas hunc Grãmaticum dicturũ fuisse? Num Paule articulos fidei ignoras, an uerò Christũ pro articulo fidei obtrudis Ecclesiæ? Quin protinus te in scolã recipias Grãmatice, ad fabulas tuas, custos uirgã, calefactor ad scolã reuocãdus es.

An uidetur tibi aliquem articulorum fidei ignorare, qui Christum per fidem est amplexus, in quo pater est cum sancto spiritu, in quo uniuersa salutis nostræ ratio consistit? Hic & articulus fidei est, & fundamẽtum oĩm articulorum, qui in scriptura expressi sunt: Alios aũt condere, est priores negare, & Ecclesiam Christi ignorantiæ arguere, sicut paulò antè dictũ est. Plenum tyrãnide pontificia est, quod
,, scribit. Porrò quicquid hic Consul (Papa) unà cum
,, uniuerso Episcoporum senatu decernit, constituit,
Nota. ,, mandat, siue credendum, siue faciẽdum, hoc recipi-
,, endum est, tanq̃ oracula diuina. Addemus etiam si libet, quod Dist. 40. cap. Si Papa, scriptum in decreto Gratiani. Si Papa suæ & fraternæ salutis negligẽs deprehẽditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, q̃d magis officit sibi & oĩbus. Nihilominus innumerabiles populos cateruatim secũ ducit primo mãcipio gehẽnę cũ ipso plagis multis inęternũ uapulaturus. Huius culpas istic

redar-

redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehẽdatur à fide deuius, pro cuius perpetuo statu uniuersitas fideliũ tantò instantius orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit impensius pendere. Si quis Antichristi uestigia & uocem non agnoscit, non uideo quid præterea ostendi queat? Christiani uerò edocti spiritu sancto, nemini eam autoritatem tribuunt, sed si angelus etiam è cœlo diuersam doctrinam adferret, esset ipsis anathema. Et huc quadrat, quod suprà ex Basilio posuimus. Τίς ἂν εἰς τοσαύτην ἐξέλθοι μανίαν, ὥστε ἐφ' ἑαυτὸν τολμῆσαί τι καὶ μέχρις ἐννοίας λαβεῖν &c.

Respondeat ἀντίχριστος καὶ ἀντικείμενος;

Relinquamus ergo Papistis sua conciliabula, de quibus nolunt ex scriptura iudicium admittere, ut qui causæ suæ diffidunt.

Quòd scribit, nullum certius signũ, quo citius & expeditius, ac euidentius cognosci queat hæreticus, & à doctore ueritatis discerni, cũ si prouocet ab Ecclesia ad iudicem scripturam: falsissimum est: Sic enim Christũ ipsum & Apostolos hæreseos accusabimus, q ab autoritate summi Pontificis, & oĩm Scribarũ ac Phariseorũ ad doctrinã Mosi, & reliquorũ Prophetarũ prouocabãt, & horũ deprõptis testimonijs aduersarijs ora obturabãt. Scio hoc esse Tertuliani dictũ, sed lõgè alio sensu ab ipso positũ aduersus eos

qui ad ſcripturam partim mutilatam, partim ſuppoſititiam prouocabant, ſicut in Prolegomenis Brentij uidere potuiſſes, ad quę cùm ſis mutus, etiam mihi non putaui plura dicenda eſſe. Quin rectius hoc dictum inuertere poſſemus: Qui à ſcriptura ad Eccleſiam, qualem tu fingis, prouocant, certiſsima hæreſeos nota deſignari. Si enim rectè ſentiunt, cur Scripturam ita formidant? à qua ſi ſua doctrina & traditionibus diſſentiunt, rectè errorum hæreſeos & uanitatis arguuntur.

Sit ergo hæc nota certiſsima hæreſeos, qui ſcripturam recuſat admittere iudicem, hunc nondum probè in ſua fide inſtitutum & uacillare, aut prorſus hæreticum eſſe.

Cùm Eccleſia ſit fundata, ut ſecundum D. Paulũ loquar, ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum de Chriſto, ſiue ſuper Chriſtum ipſum, per doctrinam illorum, ne ſycophanta hoc nobis calumnietur, omnes uident non niſi ſumma Dei cõtumelia ſibi arrogare Papiſtas, ut etiam ſcripturæ dominentur.

Non fuit ſitum in arbitrio Eccleſiæ, quæ uellet eligere aut reſpuere Euangelia. Sed cùm ueritati Euãgelij iam ſubiecta eſſet & addicta, non poterat eorũ ſomnia probare, quę ſciebat cum ueritate pugnare, quam ab Apoſtolis & eorum diſcipulis edocti erant. Nec propterea Eccleſię ſuum iudicium adimimus,

mus, quòd dicimus, eam de ſacra ſcriptura ſolum modo teſtari. Eius enim ueritate munita & confirmata, omnes oĩm hominum doctrinas iudicat, & ut Apoſtolus loquitur, omnes ſpiritus probat num a Deo ſint. Quod autem ex uerbo Domini uerè ac rectè iudicat, non hominum eſt, ſed Dei iudicium.

De Concilijs quod adfert, Lutherum eorum autoritatem ita conuellere, ut etiam ſanctis Apoſtolis non parcat. quanta hæc quæſo impudentia eſt? Sensus uerborum Lutheri eſt: Nullius hominis quantumuis ſancti autoritatem debere eſſe tantam, ut ſine ſcripturæ teſtimonio, quæ ad æternam ſalutem ſpectant, quicquam ſit credendum. Fides enim nõ eſt opinio, ſed certa fiducia, quæ non humana autoritate nititur, ſed ſolo Dei uerbo, quod cùm deeſt, opinio dicitur, non fides, hominis aſſenſus.

Hoc ſycophanta in calumniam rapit, quaſi & Apoſtolos in ordinem redigat. Quanta hæc ſit improbitas omnes uident. Sed quàm ſibi non plus arrogauerint Apoſtoli, ipſorum ſcripta declarant & conciones, quas ex Prophetarum libris comprobabant. Sed ne quidẽ ipſe Chriſtus grauatus eſt ſubiicere hanc rationem, Verbum, quod ego loquor, non eſt meum, ſed eius, qui miſit me. Digna ſanè erat æterna ueritas, cui fides haberetur, quæ ad confirmationem ſuæ doctrinæ non grauatur Prophetarum producere teſtimonia. Chriſto autem longè ſancti-

ores, & magis fide digni Pontifex Romanus cum Cardinalibus, qui hac lege non tenentur suorum decretorum rationem reddere ex uerbo Domini, sed iuxta Grammaticum nostrum, quicquid decernant, constituant, mandent, siue credendum siue faciendum, recipiendum esse tanq; DIVINA ORACVLA, sic enim loquitur.

Quos tanq; errores ex libris Lutheri descriptos enumerat, apud Christi fideles pleraq; sunt indubitata axiomata: Reatum peccati scilicet in baptismo remissum, sed ipsum morbū adhuc in natura post baptismū hærere, aduersus quē homini pugnandū, quandiu uixerit hanc mortalem uitā. Contritione item pctā non deleri, sed per eam hoīem in agnitionem magnitudinis & multitudinis peccatorū perduci, quod Luthero est peccata augeri, quæ solo sanguine Christi deleta sunt. Item enumerationem peccatorum, præterq; ꝙ sit horribilis carnificina conscientiarū, etiam impossibilem esse, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Item ad hoc ut sciamus nos esse absolutos à peccatis, non nisi fidem in Christum requiri indubitata est regula Apostolica. Item cū absolutio à peccatis sit annunciatio gratuitę misericordię Dei remittentis peccatum ꝓpter mediatorem Christum, quod in casu necessitatis quilibet Christianus præstare potest, non minus ualebit hæc absolutio, quam Rom. Pont. de quo num credat Deum &

tam & ęternam uitam, adhuc dubiũ est. Interim ordinationi diuinę nihil detractũ uolumus, quę in ministerio est ueneranda. Quoniam Rom. Pont. Antichristum agnoscunt rectè docẽtur diligere excõmunicationem. Loquimur aũt de ea excõmunicatiõe, quam ꝓpter doctrinam nostrã, quam scimus esse piam, aduersus uerè pios tanq̃ fulgur ex pelui emittit suas excõmunicationes, quæ publicũ testimonium sunt, ꝙ cum eius impietate & idolomania & blasphemijs nihil habeant commune.

Opera bona fidelium, cùm nõ sint in se perfecta, imperfectio aũt peccati nota sit, rectè dicitur in opere bono iustum peccare, quod idẽ est, ac si dicatur, ea opera non perfectè pręstari, sicut à nobis exiguntur. Hanc imperfectionem aũt esse uenialem, quia opera fiunt in fide Christi, propter quem nunc cum persona etiam opera placent.

Hæc dum neq̃ intelligat neq̃ credat Grãmaticus, luce meridiana clarius est, eũ nihil prorsus credere, & quã sibi falsò persuasit fidem, nihil pręter opinionem esse. De cœna dñica uidetur sibi cornicũ configere oculos, ac superare acumen oĩm eoꝝ, qui hactenus ꝓ Papatus honore ueritati cõtradixerũt.

Cõmunionẽ sub utraq̃ specie ideo suspectã esse debere autumat, quia à Luthero ꝑtinaciter urgeat̃ q̃ sit hęreticus: cur nõ eadẽ ratione & diuinitas filij, quia à Luthero urget̃ contra Iudæos ꝑtinacissimè.

Quæ de consecratione adfert dubia, dum Apostolicis scriptis ignorata inculcat, seipsum uanitatis arguit. Et hoc nomine pessimè de scholasticis meretur, de quo necdum certi aliquid statuerunt.

Nam quod ad illa externa attinet, constat suæ Ecclesiæ libertas, de quibus in sacris literis nihil certi est definitum aut præscriptum.

De consecratione scimus, creaturam non posse facere sacramentum. Christus autem suo uerbo cõsecrauit panem & uinum, ut dispensatione corporis & sanguinis sui seruiant.

Dicuntur autem & ministri consecrare panem & uinum, quando annunciatione mortis Domini, quæ in uerbis cœnæ breuissimè comprehensa est, panem & uinum, in usum destinant, ut mysterio dispensationis corporis & sanguinis Christi famulentur.

Consecratio autem Papistica, merè est magica, qua opinãtur creatores illi, sese mussitatione magica uerborum Christi, quæ prophanant, ex substantia panis & uini corpus & sanguinem Christi conficere, de quo aliâs copiosè dictum est.

Quòd Christus uinum aqua miscuerit in cœna, præter mysterium, quod Grammaticus adfert, nuper in concilio Tridentino, aliquis ex sanctis Patribus probabilem attulit rationem. Virum enim, qui hydriã portarit, aquam ad cœnam attulisse, qua uerisimile

rissimile sit Christum miscuisse uinũ. Vinum enim in ijs locis forte est, & cum Christo restaret prolixa concio, ne inebriatus suum officium non posset facere, aqua indubitatò uinum miscuerit. Historiam & factũ narro pie ac Christiane lector, nihil fingo.

Vide calefactor, tantum abest, ut tuæ sententiæ contradicam, ut etiam probationem fundamentalem paratus sim tibi subijcere.

Itáne defecere uos probationes, ut ad uarias allegorias, & blasphemas coniecturas confugere cogamini? Vanissimum etiam commentum est, quod blateras, Christum in cœna sui corporis & sanguinis oblationem instituisse. Sicut enim in cruce sacrificij nomen obtinuere corpus & sanguis Christi, ita in cœna non nisi cibus & potus ad manducandum & bibendum nobis proposita sunt, ut fidem nostrã alamus.

Sacrificij nomine, quomodo usi sint ueteres, sæpè dictum est, & non nisi ad munera, quæ pij offerebant, & preces Ecclesiæ refertur. Quapropter, quæ ex Patribus adfert testimonia, millies ab alijs adducta, nihil faciunt ad probandum, quod Ecclesiæ obijciunt commentũ de Missæ idolo, quo horribilius hic mundus non uidit. Et quidẽ hanc ipsam obtrectationem, quæ cum articulo iustificationis pugnet, sicut Lutherus loquitur, de q̃ paulò post uidebimus, ne omnia, exemplo huius furiosi hominis, cõmisceamus.

Audiamus quæso contra communionem sub utraq;, ut uocant, specie bellam rationem, à nemine, ut opinor, hactenus adductam. Si ad alios, inquit, dixisset Christus, aut alios præter duodecim Apostolos uoluisset indicare, non dixisset Bibite, sed Bibant. Hæc nobis ex Grammatica sua eruit hic calefactor, quia professione Grammaticus, quod hactenus scholastici Theologi exercitati Sophistæ ignorarunt. Ac nisi eadem Grammatica rationem suppeditaret, adeo argutum argumentum difficile fuerit confutare. Ex contextu uerborum certum est Christum quoq; non nisi ad Apostolos dixisse, Commedite. Si igitur hæc Grammatica ratio ualet, necessariò sequitur, etiam priorem partem Sacramenti nihil ad laicos pertinere. Si enim alios quàm Apostolos uoluisset indicare, dixisset, Commedant, non dixisset Commedite. Hac ratione Grammaticus unà cum suo Prisciano laicos, non una tantum, sed duabus partibus Sacramenti priuabit homo plus quàm sacrilegus, si Gelasio Papæ credimus. Misera ergo est laicorum conditio, si Grammatico credimus, q̃ nullo iure, nec; sub una nec; sub utraq; specie, eis debeatur Sacramentum cœnæ, sed q̃ eis unam partem Sacramenti communicant sacrificuli, Hoc summi beneficij loco ducant, cùm iure eis nihil prorsus debeant.

Reliquas rationes silentio prætereo, indignas ad quas

quas post tot confutationes respondeatur. Vnum plausibile adferunt, sed quod ex diametro cum mãdato Christi pugnat. Corpus Christi non esse sine sanguine, Ecclesiam igitur sub una specie nõ defraudari aut priuari sanguine Christi. Ad hoc respondemus, Christum non præcepisse sanguinem suum edere, sed bibere, bibere, inquam, Grãmatice, non edere. Quominus autem te per Sophistam deceptum aut circumuẽtum conqueraris, (uideo eñ te in præceptionibus dialecticis malè exercitatum) placet in gratiam tuam utrumq; uerbum iuxta formulam ex Donato tuo petitam coniugare. Ambo sunt tertiæ declinationis, & coniugantur sicut lego. Imperatiuo modo tempore præsenti, ad secundam & tertiam personam, bibe bibat, & pluraliter, bibamus, bibite, bibant. Sic & edo. Imperatiuo modo tempore præsenti, ad secundam & tertiam personã, ede, edat, & pluraliter, edamus, edite, edant. Vides Grammatice, esse duo uerba, quorum alterum refertur ad corpus Christi, alterum ad eius sanguinẽ. Sicut enim corpus Christi non bibitur, ita sanguis eius non editur. Aliunde ergo petas necesse est, q; ex Donato, si probare uelis, edere tantundem esse quod bibere. Fortasse hîc Aesopi fabulæ tibi succurrere possent. Cùm enim in Aesopo hircus fœtidus significet idem quod Episcopus uel sacrificulus, fortasse ibidem quoq; edere, idem est quod bibere.

Sed quid tecum conferimus, tanq̃ cum homine ſobrio, cùm ebrius & furioſus Chriſto Ieſu ſaluatori & primitiuæ Eccleſiæ non parcas, dum ſcribis: recte facere Eccleſiam ſponſam Chriſti, quòd commutata conſuetudine illa multis modis incommoda, pro ratione temporum conſuetudine commodiore, Sacramentum hoc filijs ſuis ſub ſpecie panis tantum miniſtrat &c.

Quid uobis uidetur de noſtro Grammatico? qui inſtitutionem & mandatum Chriſti appellat conſuetudinem multis modis incommodam, & Chriſto prudentiores fuiſſe homines, qui hanc eius ordinationem commodiore commutârunt. Sed hoc eo minus ei uitio uerti debet, quòd erroris & blaſphemiæ ſocium habeat Bartholomæum Latomũ, qui contra Epiſtolam Buceri de dimidiatione Sacramenti Euchariſtiæ ſic ſcribere auſus eſt: Cùm rudis adhuc prima Eccleſia eſſet, ritum à Chriſto acceptum religioſè tenuit, donec docta à Patribus intellexit, utramq̃ ſpeciem cõuenire ſacerdotibus, laicos ſolo pane contentos eſſe poſſe. Quis ſeſe hic continere poteſt, quin enormem hanc blaſphemiã deteſtetur? Alter profeſsione Grammaticus, Chriſti inſtitutionem dicit incommodam. Alter profeſſione Iureconſultus, Eccleſiam, quæ ritũ à Chriſto accepit rudem appellat, quaſi Chriſtus ebrius & ipſe ac rudis incommoda ignorauerit, quæ ſuperſtitioſum

stitiosum hoc genus hominum cauere uoluit.

Sed hoc loco mihi pariter duo genera hoim compellanda erunt, Iurisconsulti uidelicet & Ludi literarij moderatores, ut cum utroq; horum agant, ne cum ordinis sui ignominia pergant tam infœliciter res sacras tractare. Non enim ignorant Iureconsulti, quàm apud omnes uetus dictum obtinuerit, Iureconsultos pleruncp esse malè Christianos, qd ego quidem nunquam affirmauero. fortasse unius uel alterius iniquitas, quæ legis sententiam peruertit, ut quæstū faceret, huic dicto occasionem dedit, quod in uniuersum ordinem nullo modo torqueri debet. Quoniam uerò ad hanc uulgi opinionem, huius Iureconsulti accedit impietas, quàm parum hęc ad ordinis commendationem faciant, ipsi facilè pro sua prudentia iudicare possunt. Et quæ est nostrorum Iureconsultorum pietas, opinor non repertum quenquam, qui hanc uocem probaturus sit, quæ nobis Christum cum Apostolis, & primitiua Ecclesia tancp rudes & imperitos proponat, qui nescierint, quomodo sine periculo laicis communio corporis & sanguinis Christi exhibenda sit, donec à sanctis Patribus melius edocti, & ruditatem suam agnoscant, & sanctorū Patrum (si tamen uncp in ea sententia fuerunt, quorum autoritate illi abuntur) decreta, ipsius Christi instituto præferunt.

Quapropter si totius ordinis honori consultum

uoluerint, operam dabunt, quod in ipsis est, ut hic sese intra fines uocationis suæ contineat, in qua illius honori nihil detrahimus, ubi, quæ est hominis eruditio pariter & prudentia, cum laude & approbatione disceptationes forenses, quæ legibus dirimuntur, definire potest, cui dum satisfacere studebit secundum præscriptum legum, pietas eius quoque probata erit Deo, sine hoc, quem frustra suscepit ad defendendos pontificios errores, labore, modò inuocationē nominis Dei, cū assidua legis eius meditatione adiungat, & ad iusticiæ regulam omnia expediat, quę meditatione uerbi Dei in iudicijs iuuatur.

Similiter & Ludi literarij magistri qui pueritiam & pietatis doctrina & bonis literis imbuunt, facilè intelligere possunt, quàm dehonestauerit sanctissimum ipsorum ordinem hic Grammaticus. Mirum enim si illi non succensēant, siquidem antea satis miseri, qui dum herculeos superârunt labores, in nouas molestias per hunc Grammaticum conijciantur, propter quem imperiti etiam uniuerso ordini detrahere non uerentur. Haud dubiè igitur curabunt, ut in posterum, ab hoc scriptionis genere sibi temperet, quo uident sese in hoc discrimine adductos. Quòd si nominis celebritati studeat, & inter Grammaticos eminere ambiat, autores & hortatores illi erunt, ut in fabulas Aesopi, uel Ouidij Metamorphoses

morphoſes commentetur, ut commentaria Grãma tici cõmentis fabularum reſpondeant, ubi error nihil habet periculi, quin eo plus ſuauitatis lectori exhibeat, quò plus à uero aberratũ fuerit. Horum monitis niſi obtemperet Gramaticus Embricenſis, iam iam decreta ſunt quorundam piorum & eruditorum pędagogorũ iudicia, ut catalogo ipſorum exdudatur, & inter calefactores reñciat. Sed hos ſuo iudici cõmittamus, qui declarabit ſuo tempore aduerſus ueritatis corruptores, & inſtitutionis ſuæ peruerſores, quàm non rudis fuerit Eccleſia, quæ Chriſti ſanctiſsimo mandato obtemperauerit.

Locus quem ex Luca 24. adfert, ut aliquid ponderis habeat, ad probãdam unam partẽ Sacramenti, prius probet neceſſe eſt, ubicꝫ Chriſtũ corpus & ſanguinem ſuum diſtribuiſſe, ſi formula conſecrationis eſt apertiſsima, accipere panem, benedicere, frangere & porrigere alĩs. Sic nobis & piſces duos conſecrabit Grãmaticus, ſiue in corpus ſiue in ſanguinẽ Chriſti. Ioan. 6. Sed ſcio, ne ſui quidem uncꝫ admittent hanc eius de cõſecratione rationem, qui magia excæcati hæc quincꝫ uerba canonis pro ſubſtantialibus cõſecrationis ſuę habent. HOC eſt enim Corpus meus. hæc ſi ſacrificulus omittat, nullo modo conſecrare dicitur. Cùm ergo in dicto loco hæc uerba non cõmemorentur, quæ potuit ſecundũ ſacrificulorũ ueſtrorũ ſentẽtiam cõſecratio facta eſſe?

Hunc locũ quia uidet aliter etiam à ſuis interpretatum, hac ratione eludit: Quòd ſi qui fortè, inquit, etiam ex receptis doctoribus eccleſiæ hæc non tam acutè perſpexerint, ideoq; locum illum apud Lucã aliter ſunt interpretati (neq; enim omnium oculi omnia uidẽt, præſertim in myſterio ſcripturarum) an horum error plus apud nos ualere debebit, q̃ illorum tantorum uirorum intellectus uerus & interpretatio uera? Quin etiam ſæpè ſit, ut unus aliquis egregius doctor unum eundemq; ſcripturæ locum aliàs aliter interpretetur: cùm nemo noſtrũ ſit, cui non ſoleat accidere, ut rem aliquam nunc obſcurius uideat, imò ne uideat quidem, nunc autem perſpiciat clarius. Operæprecium eſt hæc uerba Grammatici obſeruare ad diluenda ea, quæ ex Patrum ſententijs malè intellectis contra ueritatem profert teſtimonia. Quibus etiam haud obſcurè docet, qualis ſit lux quam lucernæ ſuprà præferebat, quæ ſi in omnibus nobis ſequenda eſſet, ſæpenumero ambularemus in tenebris.

Sed qua impudentia aſſerere audet, propugnatores utriuſq; partis Sacramenti uicinos eſſe Neſtorij errori. Cùm enim figmentum de tranſubſtantiatione ſymbolorũ refutemus, quòd cõſtet Chriſtũ non fruſtulatum manducari, nec guttatim eius ſanguinem bibi, quę ſunt cœleſte pabulum ac refectio ad conſeruandam æternam uitam, quę in nobis per fidem

dē inchoata est, præter extremam malitiam hoīs hoc loco non possum in eo accusare quicquam.

Inconsideratè, temerè ac scurriliter dicta, nemo sacrus probauerit, quæ si regerere uellemus, loco unius nobis suppeditarent mille uestrorum sacrificulorum de suo recens fabricato Deo iocularia dicta, quorum catalogum audio nuper per quendam de sacrificulo quodam celebri congestum.

Sed quòd subiungit, Nos doctrina de cōmunione sub utraq; specie subtrahere Ecclesiæ totum Sacramentum, & loco eius apponere nostrum idolū, qualis sit collectio uideamus. Quia, inquit, Eucharistia non possit à quouis homine confici, & non nisi per sacrificium. Lutherus sustulit sacrificium, Ergo & Sacramentum. Vnde etiam canone non utuntur. Ex his infert: Ergo quod ipsi porrigūt, nihil minus est, quàm Eucharistia, nihil minus quàm corpus & sanguis Domini.

Bonus noster Grāmaticus, ignotū per ęquè ignotū, & falsum per ęquè falsum ꝓbat: Non nisi unctos & rasos sacrificulos siue sacrificare siue sacramenta administrare posse, primitiuæ ac puriori Ecclesiæ prorsus ignotum fuit. Non nisi per sacrificiū confici Sacramentū corporis & sanguinis Christi, Grammatici est commentum. Scholasticos Sophistas, si aduersus nos produxerit, sciat nobis cum illis bellum esse. Ex sanctis Patribus non nisi malè detorta

& deprauata poteſt depromere teſtimonia, ſicut aliâs copioſè demonſtratum eſt.

Vana igitur eſt hominis collectio, ſi quidē Chriſtus, de corpore & ſanguine ſuo loquens, non ſacrificium, ſed Sacramentum inſtituit, ad diſtributionē corporis & ſanguinis ſui, in cibum & potum, nullo modo uerò ad oblationem, quam myſterij ignorantia peperit.

Quibus de cauſis Canonem Miſſæ abiecerit Lutherus, tibi non ignotum eſſe exiſtimo, quem indoctus quidam aſinus ex omnibus precationibus cōpilauit, quas primitiua Eccleſia uſurpauit, in oblatione ſuorum munerum, quæ ad menſam Domini afferebant, anferes, caſeos &c. eaq; precibus ſanctificabant & Deo cōmendabant. Has preces indoctus ſcholaſticus, ſiue ſcholaris, aut rerum ignorantia, aut malitia ad corpus & ſanguinem, non minus impiè q̄ ineptè tranſtulit. Vnde factum eſt, q̄ Canon, ſicut nunc uſurpatur à ſacrificulis, refertus ſit horrendis erroribus & blaſphemijs, quas Grammaticus ſi libet ex Lutheri libello petere poteſt, quē de abroganda Miſſa priuata & Canone Miſſę ſcripſit.

Quod ad conſecrationem ipſam attinet, ſcias loco Canonis Lutherum nihil ſubieciſſe nothi, ſed uerborum Chriſti lingua populo non ignota recitationem retinuiſſe, qua nequaq̄ ueſtrorum ſacrificulorū magiam confirmare uoluit, ſed hac ratione

iuxta

iuxta Saluatoris institutionem & mandatum popu lum cõmonefacere, à Christo institutũ, quod iam sunt celebraturi & accepturi singuli, & hac ipsa uer borũ Christi recitatione panem & uinũ consecrare, hoc est, in eum usum transferre, nõ ut ipsorum sub stantia & natura mutetur, quæ & sunt & manent pa nis & uinum, sed ut seruiant dispensationi ueri cor poris & ueri sanguinis Christi, quæ Christus ex u tero D. uirginis Mariæ assumpsit, & alimentum ui tæternę sunt fidelibus.

Hæc ad refutationem huius calumnię sufficiant. Nam error, quo ait, nos Ecclesiæ non posse corpus & sanguinem Christi dispensare, quia non sumus secundũ ipsius opinionem qualificati, talis est, quẽ nullus Papistarum defendat, si modò Patrum sen tentię accedat, qui contra Cypriani opinionem pu gnârunt. Si institutioni Christi satisfiat, etiam ab hę reticis Sacramenta administrari, quæ non sunt hæ reticorum, sed Ecclesiæ. Prius igitur hoc suis persua deat, quàm in nobis reprehendat. Quòd si dicat se hęreticorum numero nos habere, id ei per nos lice re dicimus eo sensu, quo etiam iuxta ipsorum opi nionem catholici esse nolumus.

Mitior fortasse fuisset Alexander Episcopus, de quo Rufinus libro 10. ecclesiasticæ historiæ ca pite decimoquarto scribit, cùm apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander Episcopus agebat,

post expleta solennia conuenturos ad conuiuium suum clericos expectaret in loco mari uicino, uidet eminus puerorum supra oram maris ludum, imitatium (ut fieri solet) Episcopum, atq; ea, quæ in Ecclesijs geri mos est. Sed cùm intentius diutinè pueros inspectaret, uidet ab his geri quædam secretiora & mystica. Perturbatus ilico, uocari ad se clericos iubet, atq; eis, quid eminus ipse uiderit, ostendit. Tùm abire eos & cõprehensos ad se perducere omnes pueros imperat: cumq; adessent, quis eis ludus, & quid egissent, uel quomodo, percontatur. Illi, ut talis habet ætas, pauidi, negare primò, deinde rem gestam per ordinem pandunt, baptisatos à se quosdam cathecumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tùm ille diligenter inquirens ab ijs qui baptizati dicebãtur, quid interrogati fuerint, quidue responderint, simul & ab eo, qui interrogauerat, ubi uidet secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorum statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus ac responsionibus aqua infusa fuerat, iterari baptismum non debere. Hactenus Rufinus.

Hoc concilium si satisfacit Grammatico, ipse uiderit. sed quæ est hominis sapientia, ne quid simile fiat amplius, cauere potuisset decreto, ne lingua populari posthac baptizẽtur catechumeni, sed uulgo

ignota, quam pueri aut laici imitari non possent, sicut passim fit in Papatu. Verùm Apostolus tale institutum insanum esse dicit, quod cum ingenio Grãmatici, ut qui mente captus est, probè cõuenit.

Merum conuicium est, quod scribit, per hanc doctrinam ita dissidijs, perfidia, proditionibus, & funestissimis bellis impleta & perturbata omnia. Doctrinam Prophetarum Christi, & Apostolorum similia, consecuta sunt mala, quorum causam in ipsorum doctrinam, & non potius hominum malitiam transferre, qui ei non obtemperant, extrema impietas est.

Diabolus qui cum Luthero de canonis Missæ erroribus disputbaat, ingressus est in cor huius grãmatici, sine quo suggerente tantas blasphemias euomere non potuisset.

Articulum iustificationis ex tenebris sophisticis restitutum, ita implicat Grammaticus, ut quid dicat, prorsus non intelligat. Nos credimus & confitemur, hoiem corã Deo iustificari, id est, Deo gratum & acceptum fieri, & consequi remissionem peccatorum per solam fidem, propter meritum obedientiæ Christi, & non propter opera, quæ homo præstare potest.

Huic contradicit Grammaticus, deprauans scripturæ dicta, quæ breuiter restituemus.

Quòd Christus Matthei 7. damnat eos, qui ha-

bent fidē miraculorū, nostrę sententię nihil prorsus adimit. Alia em̄ est fides miraculor̄, alia iustificās.

Locus ex Canonica Ioannis, Qui facit iusticiam iustus est, fallacia in scholis nota, uidelicet, à non causa ut causa, per Grammaticum est deprauatus.

Non enim ideo iustum esse dicit Ioannes, quia iustitiam faciat, sed ideo iustitiam facit, quia iustus est, siquidem opera ex iustitia promanant, sicut philosophi de politica iustitia tradiderunt, iusticię opera, siue iusta opera ex habitu iustitiæ promanare. Sic & coram Deo, ut iustum sit, quod agimus, hoc est, Deo gratum & acceptum, necesse est hominem prius esse iustum, uidelicet propter meritum Christi. Palpabilis igitur est hoc loco Grammatici sophistica, quam fortasse non intelligit.

Ex D. Pauli loco 1. Cor. 13. Si omnem fidem habuero &c. penitus nihil aliud probare poterit, si rumpatur, quàm quod Paulus propositum habet, uidelicet, frustra de fide gloriari hominem, qui charitate destituatur. Sed quis hoc negat? fidem non posse esse sine operibus, imò ut D. Iacobus inquit, mortuam dicimus, Siquidem spiritus sancti donum est, quam non solum operatur, sed cum charitate ita copulat, ut abinuicem diuelli nequeant. Sed propter hanc coniunctionem charitatis cum fide, ipsam

ipſam charitatem ſeu opera charitatis in numerum cauſarum redigere, quòd propter illam homo corã Deo iuſtificetur, hoc demùm à mente & ſenſu Apoſtoli alieniſsimum, qui paſsim docet, non niſi in ſolo merito Chriſti confidere. Abſit à me, inquit ad Galatas, gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Phil. 3. Exiſtimo omnia detrimenta eſſe, propter eminentem cognitionem Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, ut & inueniar IN ILLO, non habens meam iuſticiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ eſt ex fide Chriſti &c. Et Ioannes: Sanguis Ieſu Chriſti filij eius, emundat nos ab omni peccato. Et iterum: Factus propiciatio pro peccatis noſtris, non tantum noſtris, ſed pro peccatis totius mundi. Et Baptiſta: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Quòd autem ſuperbè interrogat: Nullæ ne aliæ ſunt cauſæ efficientes (ut more dialectico loquar) ad hoc neceſſariæ, ut efficiamur iuſti propter ſolam fidem? Suis uerbis docet ſeſe adhuc ignorare, quo cauſarum nomine fides in iuſtificatione hominis ponatur.

Nos in gratiam ſimplicium cauſas iuſtificationis explicabimus breuiter, ut ruditas Grammatici conſpici queat.

Non enim una causa iustitia nostra coram Deo definitur, sed concurrunt multæ tanquam essentiali serie connexæ.

Efficiens est Deus ipse, Rom. 8. Deus est qui iustificat Iere. 23. & 33. & nomen eius quo uocabunt eum Deus Iustitia nostra.

Instrumentalis est, ipsa Christi obediẽtia, Rom. 5. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi. Item Iustificati sanguine eius salui erimus ab ira per ipsum. Materialis causa respectu Dei extra nos, est ipsius Christi humanitas. Nam obediẽtia Christi cuius meritũ nobis in remissionem peccatorum applicatur, facta est in Christi humanitate. Sed respectu nostri, nos ipsi sumus materia circa quam Deus in Christo seu propter Christum per fidem iustificans occupatus est.

Instrumentalis causæ respectu Dei sunt multæ, quibus meritum Christi applicatur, uidelicet, prædicatio uerbi Dei, & sacramẽtorum administratio, in quibus Christus nobis offertur & donatur cum omnibus beneficijs.

Formalis, quæ in nobis est, dicitur fides, quæ nõ solum notitia est historiæ, sed firmus assensus apprehendens instrumento uerbi & sacramentorum Christum ipsum, cuius obedientiæ meritum nobis ad iustitiam imputatur coram Deo. Hanc causam

propterea

propterea formalem appellamus, quòd obedientię Christi meritum nihil prosit nobis, nisi per fidem applicetur. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Et iterum: Ei autem qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, huic fides sua imputatur ad iusticiam. Credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad iusticiam.

Cùm ergo (ut secundum dialecticos loquamur) fides det esse rei, hoc est, tùm iusti simus, quando credimus, hoc causarum nomine mihi uidetur uenire commodissimè. Etsi nolim cum quoquam litigare, qui hisce limitibus iusticiã hominis definiat, quæ coram Deo ualet, uidelicet fide in Christum, siue, Christi per fidem, penes lectorem sit, uel fidẽ, uel obedientiam Christi ratione formalis causæ exprimere.

Finales causæ sunt multæ, prȩcipua autem conscientię tranquillitas, qua homo certus est, sese Deo gratum & acceptum esse propter mediatorem, habere remissionem omnium peccatorum, & hȩredẽ esse æternę uitæ & omnium cœlestiũ bonorum.

Hanc causarum rationem dum ignorat Grãmaticus, ita seipsum & alios inuoluit, ut se non explicare queat. Ex hac intelligi potest, quo sensu accipiendum sit, cùm dicitur: Sola fide iustificari hominem. Nec cęteras excludi causas, suo ordine & loco positas & enumeratas.

Duplex igitur error ex cauſis demonſtrari poteſt. Prior, quando homines docentur, q̃ ſuis operibus poſsint expiare aliquã partem peccatorum: hoc debetur ſoli obedientię Chriſti, niſi dicas Chriſtum dimidiatum redemptorem & expiatorem peccati, adeoq̃, ut Paulus uocat, peccati miniſtrum. Poſterior: Cũm clariſsimis ſcripturæ teſtimoniis conuicti, fateri cogantur Papiſtæ hunc ſuum priorem errorem de merito bonorum operum, alium adferunt, ad tegendam & palliãdam ſuam impietatem: Bonis operibus nobis etiam applicari, & hiſce apprehendi obedientię Chriſti meritum. Contra docet Paulus: Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, abſq̃ operibus legis. Fides enim unica manus eſt, qua meritum Chriſti apprehendimus, quod eſt ſumma & abſoluta perfectio, quam per ſuam obedientiam acquiſiuit, quæ rigorem diuini iudicij ferre poteſt.

Quòd addit, Deum quidem requirere fidem, in his, quos iuſtificat, ſed nõ hanc ſolum, ſed præterea ſpem & charitatem, opera charitatis, pœnitentiam, & Sacramentorum uſum, manifeſta eſt calumnia, qua nos iniuſtè grauat, ſicut ex his, quæ iam diximus, luce meridiana clarius apparet, quo ſenſu ſoli fidei iuſtificationem tribuamus, Non ut ab his ſeparemus cauſis, quibus neceſſariò iuncta eſt, neq̃ ab effectibus, qui eam ſequuntur, ſed ut errorem demonſtremus

monstremus & confutemus Papistarum, qui hactenus plebem seduxerunt falsa doctrina, hominem posse pro peccatis suis quoq; operibus satisfacere, qui merito & gloriæ Christi detrahit.

Hinc patet, quo loco habendum sit impium & blasphemum os, qui doctrinam de iustificatione hominis per solam fidem propter obedientiã Christi, gratuita Dei misericordia factam, non uerentur abominãdum idolum appellare. Et iterum inquit: Quæ, malùm, Dementia est, putare Christum ita satisfeciſſe pro his peccatis, quæ ipsi patramus quotidie, ut nulla prçterea nobis pro his opus sit satisfactione? Siccine patimur nobis ab hoste nostro capitali lupo excantari, nõ solum iudiciũ animi rectæq; rationis, uerum etiam sensus communis? Hactenus Grammaticus. Nota.

Abominandam igitur idolatriam tradit Ioãnes Euangelista, qui docet Christum propiciationem esse factam pro totius mundi peccatis. Dementes & insani sunt Prophetç, Apostoli, adeoq; Christus ipse, à quibus hanc doctrinam accepimus, quos tu traducis, ut qui sensum communem etiam amiserint. Hiscéne blasphemijs uindictã & ultionem diuinam te effugere posse credis, si maximè hoim manus euadas, & huius tuæ impietatis patronos & adstipulatores inuenias? Noli errare, Deus non irridetur, qui haud dubiè horrẽdum de te suppliciũ sumet homo sceleratissime.

De Ecclesia quomodo uisibilis sit & inuisibilis, quid attinet hic multa dicere, cùm constet ea ratione uisibilem dici qua cœtus cõspicitur, qui purum Dei uerbum audit, & Sacramentis iuxta institutum Christi utitur. Hunc cœtum solemus appellare Ecclesiam, quem uidemus.

Quia uerò plerunq; huic cœtui admixta est magna colluuies hypocritarum, sicut parabola euangelica de seminante docet, de quibus non nisi Deus ipse semper pronunciare potest uerè, hominum autem iudicia sæpenumero falluntur, rectè dicimus ui ua membra Ecclesiæ Deo nota esse, cùm de omnibus Ecclesia non nisi secundum charitatem pronunciet. Deus autem nouit, qui sint sui.

Sed quòd hic Grammaticus nobis mitratos Episcopos & monachos atq; prælatos pro uiuis semper membris Ecclesiæ propinat, hoc prius probauerit necesse est, quàm credamus, quorum errores & idolatriam demonstrare possumus.

Neq; enim peda pastoralia, mitræ episcoporum, concordia & consensus in quamlibet opinionem, quam nomine fidei nobis obtrudit Grammaticus, sicut nec detritum pallium aut sordidus uestitus Ecclesiam constituunt, sed syncera doctrina diuinitùs tradita, & uerus usus Sacramentorum, sunt uera signa Ecclesiæ existentis in ijs partibus, ubi hæc conspiciuntur.

De

De Conciliorum autoritate ualdè dolet homini, quòd Brentius in ſuis Prolegomenis pro huius Grammatici palato non ſcripſerit, eaq; pulchrè ſibi conuellere uidetur, cùm magis ſit mutus quàm piſcis ad præcipua eius argumenta. Nam quod affert à ſuo Roffenſe, de cauſis cur interdum Concilia erraverint, uanum eſt. Nempe, q̃ non fuerint illa iuſtè legitimeq; conuocata & habita Concilia. Et quæ ſua opinione ſit iuſta Concilij ratio, cuius autoritati nemo contradicere audeat, oſtendit, uidelicet, q̃d à ſummo Pontifice ita conuocatum fuerit, ut nemo illorum de induſtria ſit præteritus, quorum officiũ eſt Concilijs intereſſe, & in quo per caritatem unanimi conſenſu inter ſummum Pontificem & conuocatos Patres conuenerit. Hæ rationes ſi ualent, quomodo ſuo conſtabit autoritas Concilio Niceno, non per Romanum Pontificem, ſed Conſtantinum conuocato?

Nullo autem modo Concilijs ſua derogatur autoritas, quando eis non maior tribuitur, quàm Scriptura permittit, Scripturæ ſcilicet ſubiecta eſſe oĩm hominum decreta, nec quicquam ſtatuendum, cuius non poſsit ex Scriptura euidens ratio reddi. Maiorem ſibi autoritatem S. Patres prius non uendicârunt, quàm tyrannidem in Eccleſia affectauit cum ſuis conciliabulis Romanus Pontifex.

Perſpicuè ergo docemus, nec unius nec pluriũ,

utcunq; conuocatorum, autoritatem tantam esse, ut quicquam statuere posse credamus, quod ex scriptura sacra demonstrari non queat. Plura si exigat Grammaticus, Antichristi sedem uidetur stabilire, cuius regula est: Se non teneri cum senatu suo cuiquam mortalium factorum & decretorum suorum rationem reddere. Sin uerò scripturæ sacræ consentanea decernantur, non propter Concilia, sed uerbum Domini, fides habetur ipsorum sententiæ, quæ ipsorum uotis præsidet, atq; ita nullum nobis cum illo certamen est.

Nullum autem finem fore controuersiarum, si cuilibet liberum sit de Conciliorum decretis iudicare, nimis friuolum est. Vtcunq; enim uarient sententiæ uulgi de Conciliorum pijs decretis, constabit tñ sibi ueritas, & cauillationes improborũ facilè uincet. Quòd si durauerint cõtrouersiæ, nihil noui est & inauditi in Ecclesia. Prophetarum enim & Apostolorum cum summis sacerdotibus contentiones cùm diu durassent, Domini iudicium diremit, quod etiam uobis expectandum, & nos parati sumus sustinere, siquidẽ nullis æquis ratiõbus uestri ad reddendã rationẽ suæ doctrinę adduci possunt.

De imaginibus, dum horribilem idolatriã, quæ in omnibus partibus Christianismi exercetur, extenuat, admodũ argutè de earum usu sibi uidetur philosophari Grãmaticus, dum ex sententia Gregorij laico-

laicorũ libros esse, falsò persuadere conatur. Neq; enim mutis statuis, & quæ non nisi ad idolatriam prostãt, ministerium docendi commisit Dñs. Quę si propter hunc usum retinendæ essent, plus uestigiorum diuinitatis in tota mundi machina & creaturis cœlo subiectis conspicies, quæ de bonitate, sapientia & potentia Dei nos cõmonefaciunt, quàm stultę illæ imagunculæ, quas Esaias ridet & Psalmista.

Verùm in Papatu necessarius fuit imaginũ usus, quæ rudiores docerent, cùm passim sacrificuli nihil minus prę stare possent, q; munus docendi subire. Vnde factum est, ut loco concionis de passione Dñi, & annunciatione mortis eius, sacrificuli tanq; mortuæ statuæ & imagines sese populo sisterent, quæ certis quibusdam lodicibus spectatoribus de captiuitate, cruce & morte Christi concionarentur. *Lumpen prediger.* O concionatores uerè lodiceos, non lodicibus, sed fustibus ex Ecclesia pellendos. Num lodices (sic uoco habitum missalem) uobis commendauit Dñs, ut de morte filij uobis indoctis, & docere nesciẽtibus, concionarentur populo?

Pudet huc adscribere ineptam explicationem præcepti primi de imaginibus, ubi Deus simpliciter imagines prohibuit, quæ cultui diuino seruirent, nihil obstante mandato de Cherubim. Sic enim & quinti præcepti præuaricationem iustificare possemus, cùm Deus Aegyptijs aurum

& argentum titulo mutui auferri præciperet, quod furti rationem habebit, nisi peculiari mandato Dei niteretur, Eius tamen exemplo neminem defraudare licet.

Valdè impudenter negat, quòd in imaginibus nemo spem salutis collocarit unquam. Nam ut nihil dicamus de multiplici idolatria superiorum annorum ad imagines sanctorum, quæ negari non potest, nuper nobis ex celebri schola quidam publicè asserere non ueritus est, pro pileo doctorali impetrando. Verba eius hęc sunt in Apendice 3. Nec negamus sacris imaginibus è superna benignitate uirtutem pijs adiutricem esse posse. Cũ os aureum dicat: Ego ex cera fusilem picturam pietate plenam amaui. Vidi enim angelum in imagine barbarorum nubes propulsantem &c. Quid quęso aliud docent tot peregrinationes ad peculiares statuas, si nulla uirtus eis tribuitur? Desine igitur tam crassam idolatriam uel excusare uel extenuare, sed potius considera pietatem & zelũ Ezechiæ, qui serpenti æneo mandato diuino fabrefacto, non pepercit. Iehu templũ Baalim destruxit, & in latrinas conuertit. Ne quæso arbitreris tam stupidos fuisse Israelitas, quin cognouerint lapides, ligna & metalla esse, quę prostabant idola, cũ nihilominus horribilem idolatriam exercerẽt, qui nihil minus à Prophetis audire sustinerent, adeo ut Prophetas tanq̃ iniu-

iniuſtos reprehenſores occiderẽt, ſicut paſsim etiã in Papatu factum eſt, & in hodiernum diem hæc crudelitas exercetur.

Sed quoniam Grammaticus adorationem ſiue inuocationem ſanctorum impudenter affirmat ab ipſis Apoſtolis & primitiua Eccleſia acceptam, non pigebit huc adſcribere, quod Epiphanius contra Collyridianos ſcripſit, unde manifeſtũ fiet, quàm uana ſit hominis perſuaſio: Reuera, inquit, ſanctũ erat corpus Marię, non tamen Deus, Reuera uirgo erat ipſa uirgo & honorata, ſed non ad adorationẽ nobis data, ſed ipſa adorans eum, qui ex ipſa, carne genitus eſt, De cœlis uero ex ſinibus paternis acceſſit. Et propterea Euangelium munit nos, dicens, quòd ipſe Dominus dixerit: Quid mihi & tibi cu, ræſt mulier? nondum uenit hora mea. Quo non putarent aliqui magis eximiam eſſe ſanctam uirgi, nem, mulierem appellauit eam, uelut prophetans “ quæ futura eſſent in terra, Sectarum & hereſeon “ gratia, ut ne aliqui nimium admirati ſanctam, in “ hanc hæreſin eiuſq; deliramenta delabantur. Eſt “ enim ludibrium tota res & anicularum fabula, ut “ ita dicam tota hæreſis tractatio. Quæ uero ſcrip, tura hoc narrauit? Quis prophetarum præcepit ho minem adorari, Nedum mulierem? Eximium equidem eſt uas, ſed mulier, & nihil à natura immu tata, uerum & intellectu & ſenſu in honore ho,

norata, uelut corpora sanctorũ, & si quid amplius ad glorificationem dixerim, &c. Sed neque Helias, inquit, adorandus est, etiamsi in uiuis sit, Neque Ioannes adorandus, quanquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, Imo potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neq; Thecla, neq; quisquã sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus uiuentem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorauerunt creaturam, præter creatorem, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non uult, quanto magis eam, quæ genita est ab Anna, quæ ex Ioachim donata est Annæ, quę per preces & omnem diligentiam, secundum promissionem patri ac matri data est, Non tamen aliter genita est, præter hominum naturam, Sed sicut omnes ex semine uiri, & utero mulieris.

Et paulò post: Vnde igitur rursus nobis rotundus, & in orbem se gyrans draco? Vnde renouantur obliqua illa consilia? Sit in honore Maria. Pater & filius & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, Non dico mulierem, Imo neq; uirum. Deo debetur hoc mysterium: Neque Angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur quæ malè scripta sunt in corde deceptorum.

Tollatur

TOLLATVR EX OCVLIS CVPIDITAS LIGNI. CONVERTATur rursus figmentum ad Dominum. Reuereatur Eua cum Adam, ut Deum colat solum, ne ducatur serpentis uoce, sed permaneat in Dei precepto: Ne comedas de ligno. Et erat lignum non error, Sed per ipsum lignum facta est inobedientia Erroris. NE Comedat quis de errore, qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulchrum est lignum, Sed tamen non ad cibum. Et si pulcherrima est Maria sancta & honorata, at non ad adorationem.

Idem contra Antidicomarianitas. Impletur.n: & in his hoc: Deficient quidam â sana doctrina, attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum. Erunt enim, inquit, mortuis cultum diuinũ præstantes, quemadmodum etiam in Israel coluerunt.

Hactenus Epiphanius. Et hæc quidem sunt Elogia, quibus inuocationem sanctorum uel uiuentium, uel mortuorum, ut ipse distinguit, uel Angelorum ornat. Appellat enim mulierum in sanctam. Et qui hæc doceant, nihil esse præter mulieres. Diabolicum conatum, hæresin, & deliramenta, ludibrium & anicularum fabulam, Antiquum errorem, stultitiam, draconis obliquum consilium, errorem, doctrinam dæmoniorum.

Hæc enim Epiphanij ſunt, non mea uerba Grammatice, ne quid erres. Quòd ſi eludere coneris uulgata Sophiſtarum diſtinctione Latriæ & duliæ, quàm uanum ſit effugium, uerba Chriſti docent, Οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Si igitur Chriſto credimus, tam Deo quàm hominibus tribuitur δουλεία. Siue igitur ad duliam ſiue Guliam & hyperguliam confugias (uideris enim mihi magnus Guli) Idolatriam non exercebis, quæ in inuocatione ſanctorum exercetur. Eas nunc Grammatice, & ſanctorum inuocationem tanquam Apoſtolicam obtrudas Eccleſiæ amplius.

Multorum annorum conſuetudinem ne proferas. Audis enim ex Epiphanio, quòd ſit antiquus error. Et quàm inualida conſuetudinis ratio, ſi cum ueritate propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ pugnet, Baſilius docet ad Euſtathium. Οὐ νομίζομεν δίκαιον εἶναι τὴν παρ' αὐτοῖς ἐνδικρατεῖσαν συνήθειαν, νόμον καὶ κάνονα τοῦ ὀρθοῦ ποιεῖσθαι λόγου. εἰ γὰρ ἰσχυρόν ἐστι εἰς ἀπόδειξιν ὀρθότητος ἡ συνήθεια, ἔξεστι καὶ ἡμῖν πάντως ἀκολουθεῖν ἐκείνοις. Οὐκ οὖν ὁ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή. καὶ παρ' ἧς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ψῆφος.

Et Gratianus Diſt. 8. cap. Mala: Mala autem conſuetudo non minus quàm pernicioſa corruptela uitanda eſt: quæ niſi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impijs aſſumitur, & incipiunt

piunt præuaricationes, & uariæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ, pro legibus uenerari. Et Auguſtinus: Veritate manifeſtata, cedat conſue tudo ueritati. Item: Nemo conſuetudinẽ rationi & ueritati preponat, quia conſuetudinem ratio & ueritas ſemper excludit. Et Gregorius: Si conſue tudinem opponas, aduertendum eſt, quod Domi nus dicit: Ego ſum, uia, ueritas & uita, Non dixit, ego ſum conſuetudo, ſed ueritas. Et certe ut bea ti Cypriani utamur ſententia: Quælibet conſue tudo, quantumuis uulgata, ueritati omnino eſt poſtponenda, & uſus qui ueritati eſt contrarius, eſt abolendus. Et Cyprianus, Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, Non debemus attendere, quid ali quis ante nos faciendum putauerit, Sed quid pri us, qui ante omnes eſt Chriſtus, prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi opor tet, ſed Dei ueritatem. Cum per Eſaiam loquatur Deus, & dicat: Sine cauſa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Hæc ſi tibi non ſatisfaciunt Grammatice, ſine fructu etiam plura afferemus teſtimonia. In fine libelli deplorat ſtatum Eccleſiæ noſtri temporis, & quidem iure, niſi prorſus cæcus eſſe uelit, cum hæc omnia, quibus enormiter peccatur ex Ec cleſia eſſent tollenda. quid fit? Ex iuuentute, in quit, qui ſunt omnium ignauiſsimi & ſceleratiſsi

mi, ut à præceptoribus suis neq; scientia, neq; uirtute, ad ullum honestum uitæ genus formari possint, his extremum refugium est Sacerdotium aut Monasterium. Hactenus ille. His postea committitur iudicium de controuersijs. Ex horum iudicio pendeat Magistratus, in quorum sententias inquirere, est ipsi Deo resistere.

Si serio Principes sui officij commonefacit, eur iniurius est in nostros, qui curant maximè dignis conferri beneficia Ecclesiastica. Non ut in Papatu fieri consueuit: Si bene legat, bene exponat, bene canat, hoc est, boet, dignum beneficio Ecclesiastico iudicarunt Asinum. Etsi nostras infirmitates non celamus, tamẽ ecclesijs non præficiuntur, quantum humana diligentia, studio & industria fieri potest, nisi qui docere possunt, & honestè, & dignè Euangelio ambulant. Si secus fiat, non tantũ ab officio suspendũtur, sed pro meritis etiam seuerissima pœna in eos animaduertitur. Sed tantum abest, ut apud uos idem fiat, ut uideãtur Nefandis libidinibus præclara præmia posita.

Dum de scholarũ defectibus conqueritur Grammaticus, suis loquatur. Nam beneficio Dei, in his partibus, scholæ nostræ benè constitutæ sunt, ut hæc tempora ferunt, quam laudem nunq; nostris eripere possunt. Id quod successus declarat, dum subinde ex scholis nostris prodeunt, qui operam

suam

ſuam, ad proferendos regni Chriſti terminos conſe runt. Nos uiciſsim huic Grammatico ſuos beanos cõmittimus, qui cum doctiſsimi euaſerint, nihil di dicerunt amplius quã impium Caiaphę iudiciũ ad uerſus Chriſtum iuſtificare. Quòd ſi diſcipuli ſupe rauerunt Magiſtrum, quid quæſo furoris & inſa niæ nobis ab illis expectandũ erit?

Sed uideamus libelli finẽ, quẽ diſiũctiua fecit ad modũ iocoſa. Aut ego (inquit) omnino fallor, uiri acfratres chariſsimi, aut hęc eſt rectiſsima, certiſsi ma, facilimaq; ratio recuperandi pacẽ. Hæc ille. In diſiunctiua ſufficit alteram eſſe ueram. Et q̃ falſa ſit prior pars, ex his quę nũc dicta ſunt cõſtat, Toto ſci licet cœlo à uera uia aberrare hunc Grammaticũ, & falli & fallere, dũ arbitratur hanc rectiſsimã uiã recuperandi pacem Eccleſiæ, quam ipſe prę ſcripſit. Nõ ignoramus expeditã hanc Papiſtis uiã, ad tuen dum ocium ſuum, quod illi pacem Eccleſiæ appel lant, & multũ dolore perturbatam quietem, qua in Eccleſia pro libidine in clerum Domini ſunt domi nati. Si tamẽ Tyrannis ipſorũ, quam multis annis exercuerunt in uera Chriſti membra, Dominium eſt appellandum. Quis ignorat nobis benignum fore Romanum Pontificẽ, ſi huius tam horrendi Idoli pedes oſcularemur? Quid non ſperãdũ gratię à Cardinalibus, ſi abiecta Euãgeliį doctrina, ipſo rũ nugas amplecteremur, & ipſorũ maledictioni, (abſolutioni dicere uolui) ſupplices facti fuerimus?

Quapropter tibi consultissimum fuerit, ut te quam primum in scholam recipias, & posthac nunquam persuaderi patiaris, ut earum rerum uel explicationem uel compositionem suspicias, in quibus non solum ignorantia tua summa, sed horribilis blasphemia est demonstrata. Quin potius Homeri cum Aesopi fabulas conferas, in quibus siquidem erratum fuerit, minore tuo periculo & iuuentutis incommodo fiet. Quod nisi feceris, aliud de te pronunciare non possumus, quàm quod in nos de Vlyssis socijs male detorques figmentum. Res ipsa demonstrat te quoq; bibisse ex poculo execrandæ illius Circes, hoc est, scorti babylonici. Est autẽ mulier, quam Ioannes in Apocalypsi descripsit, circundata purpura, & coccino, inaurata auro, & lapide precioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius scriptum mysterium, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ, Et uidi mulierem Ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum.

Agnoscis mundum Romanæ curiæ? Agnoscis luxum Cardinalium, quos nobis tanquam Senatum Ecclesiæ obtrudis? Agnoscis horribilem & abominandam idolatrian, libidines nefandas, quas impurissimum hoc scortum multis annis in

Ecclesia

Ecclesia Christi & in terris exercuit? Agnoscis crudelitatẽ, cuius ipse fortasse non semel spectator fuisti? Hæc in nos retorquere nõ potes scio, si rũparis. Nam Meretricium hunc ornatum templis eiectũ esse, ipse deploras, dum nostri apud uos non nisi Ecclesię spoliatores audiunt. Purpuram, coccinum inaurata & gemmis contexta apud tuos requiras necesse est, si hunc Apocalypseos locum intelligere uelis. Nobis cum illis nihil est hac in parte commune, præter tunicam lineam, qua nostras laceras uestes tegimus.

Propter Idolatriam uos non accusauimus solũ, sed uerbo Domini iam pridem conuicti estis, ac nisi cæcitas mentis uestræ obstaret, obtemperaretis mię, & agnito errore resipisceretis. Crudelitas in uestros apud nos exercetur nulla, quos utcunq; indignos, quo minus de nostrorum hominum benignitate conquerantur, tanquam porcos saginamus. Sunt enim inutilia terræ pondera, partim Monachi, partim Sacrificuli, qui in uerbo Domini laborare nequeunt, nati scilicet, & per laruatos Episcopos creati ad tria missa. Nisi ergo patiaris te auellab hoc prauo consortio, Gryllum refers ijsdem uirtutibus, quas falso nostris affingis. Quòd si exemplo illius responsare coneris, porci grunnitus erit, indignus ad quem homo respondeat.

Et hæc quidem de egregio tuo de dissidijs com-

ponendis libro, in quo non pauca in ſcholam tuam relegare uolui, ubi tibi magnum negotium eſt cum fabulis, quibus uſque adeo tuum ingenium eſt adſuetum, ut contra uoluntatem, cõſuetudine ſcilicet natura uicta, in ſacris & diuinis ſcripturis non niſi fabulari uidearis. Hiſce fabulis te denuo donamus, & in poſterum ut deſinas cum fabulis prodire in publicum rogamus, quibus nihil præter inſaniam & furorem declaras, quo Domino permittente, dum ueritati reluctaris, per patrem mendacij cum tuis adplauſoribus agitaris. Si tamen in mundo quiſquam reperitur adeo malus & contumelioſus in Deum, qui tuas blaſphemias probare poſsit.

Niſi moleſtum eſſet pio lectori, ad Apologiam tuam quoque breuiter reſponderem, etſi quædam occurrunt, quæ ſilentio prætereunda non ſunt. Hæc minore tędio lector leget, cum ferè nihil aliud ſint quàm breuis ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ Grammaticus in ſuo uano libello attigit.

Summa Apologiæ eſt, Lutherum iure ab hoc Grammatico damnatum hęreſeos & iudicatum ardere apud inferos. Quam temeritatem aliquis ex amicorum eius numero reprehendit. Nos more Dialecticorum in formam redigamus eius argumenta. Sic enim tædium lectori leuabitur, & uanitas Grammatici facilius deprehendetur. Sunt autẽ hæc, quæ ſequuntur eius Argumenta.

Primum

Primum Argumentum.

Lutherum ſummus pontifex Leo x. damnauit hæreſeos. Ergo hæreticus eſt & damnatus.

Reſponſio.

Mirum cuiquã uideri debet, reũ negare crimina, propter quæ in ius trahitur? Leonẽ x. ꝓpter indulgentiarũ mercatũ reprehẽdit Lutherus, quẽ pontifex fulmine Anathematis conatus eſt repellere. An ſichriſti reſpõſa nõ ſunt nobis, ſicut huic Grãmatico, oracula diuina. Inſulſus et ineptus grãmaticus infœliciter in prȩceptionib. dialecticorũ ac Rhetorũ exercitatus κεινόμενον aſſumit, ꝙd probãdũ erat, et de quo uno prȩcipuè litigatur, hoc ſibi cõceſſum arbitratur. II. Argumentum.

Concilium Tridentinũ tanquã hæreticũ damnauit Lutherum. Ergo Lutherus ardet apud inferos.

Reſponſio.

Suprà docuimus teſtimonio legatorũ Ro. Sedis, Sodomitarũ cõfeſſum fuiſſe conciliabulũ Tridentinum, quorũ omniũ impietatẽ cum Lutherus ipſis inuitis in lucẽ produxerit, & ſcripturæ teſtimonijs perſpicuis confutauerit, mirum ne bonis omnibus uideri debet rectè monentẽ à mitratis & laruatis Epiſcopis Lutherũ hȩreſeos damnatũ? Sed quid ego hȩc pluribus ago, cũ ſuprà iudiciũ Caiphę & Annę iuſtificaueris aduerſus Chriſtum, qui Chriſtũ tanquam hæreticũ & blaſphemũ cruci affixerũt. Si hic

tibi hæreticus est, ut authoritatem summi Pontificis asseras, quid Luthero parceres Christi sanctissimo famulo?

III. Argumentum.

Tota Ecclesia damnauit Lutherum. Ergo Lutherus apud Inferos ardet.

Responsio.

Ad antecedens respondeo. Si per Ecclesiam intelligit Ecclesiam malignantium Pontificem Romanum antichristum, cum suis complicibus, libenter fatemur Lutherum ab his tanquam suis & Dei hostibus damnatum, sicut Christus ab Ecclesia Iudæorum, hoc est, Synagoga damnatus est, quæ constabat personis, quæ in ordinaria successione erant, quorum caput fuit, & nunc quoq; est tenebrarum princeps.

Si uero intelligat ueram Christi Ecclesiam per spiritū sanctum in uniuerso orbe collectam in fidei unitatē, quæ Euangelio credit, & Euangelio dignè ambulat, cuius membra passim dispersa sunt in Germania, Anglia, Gallia, Italia, Græcia &c. et in omnibus ferè partibus mundi, in quas sol iusticiæ radios repurgatæ doctrinæ emisit, falsissimum est quod Grammaticus scribit. Lutheri enim doctrinam amplectuntur, non tanquam hominis commentum, qualia sunt Pontificum Romanorum decreta ex scrinio pectoris prolata, sed tanquam uerbum

bum Domini, illius ministerio, singulari clemen-
tia & bonitate Dei in hac mundi senecta allatum.

Abeat ergo Grammaticus cum sua Ecclesia, cũ qua, eiusque iudicijs, sciat nobis nihil prorsus esse commune.

IIII. Argumentum.

Qui pacem Ecclesiæ turbat, apud inferos ardet, Lutherus pacem Ecclesiæ turbauit: Ergo Luthe-
rus apud inferos ardet.

Responsio.

Ad maiorem respondeo. Pax, quæ in impieta-
tem consensit, non est pax uera, sed quouis bello nocentior. huius turbatores uerè & rectè ἀειρηνοποιοὶ dicuntur. Cum enim impijs non sit pax, impietate demonstrata, uera pax instaurari dicenda est, quod amatoribus impietatis est turbare pacem. Exem-
pla fictæ illius pacis & Apostolorum & Propheta-
rum tempora suppeditant.

Prophetarum temporibus summus Sacerdos cum Leuitis & sacrificulis consentiebant in summã Idolatriam, quæ authoritate regum & principum exercebatur. Hanc dum accusant Prophetæ, audi-
unt, turbatores pacis & tranquillitatis publicæ, & hoc nomine trucidantur, sicut uidere est apud Iere-
miam, Esaiam & reliquos.

Similiter & Apostoli propter eandem causam, conflictam à Iudæis partim trucidabantur, partim

in exilium eijciebantur. Sed num tibi Grammatice propter hanc causam hęreseos damnãdi uidentur, Cum illi à quibus talia patiebantur ueritatem non sustinentes Ecclesię uerę titulum sibi uendicabant?

Idem prorsus de Luthero nostro dicamus, quem in gratiam tuorum Apostolum nostrum dicimus. Conspirationem uestram turbauit, pacem Ecclesiæ non soluit: uinculum pacis demonstrauit, quod uestri cane peius & angue oderunt. Nulla pax est uera & solida, nisi qua in ueram synceram doctrinam cõsentiant fideles. Quæ dum corrupta est, sicut ferè de omnibus partibus doctrinæ Papisticæ demonstratum est: falso de pace præsumitur: ubi dum res non respondet, etiam uocabulum prophanatur.

Sciat ergo Grammaticus, tam non fore ullam pacem impietati Papisticæ, superstite doctrina Lutheri, quàm nulla erat Iudæorum Synagogę, quam diu Apostoli Euangelium Christi profitebantur & docebant. Nulla enim est conuentio Christi cum Belial, aut communio Luci cum tenebris.

V. Argumentum.

Seditiosi in Republica non sunt tolerandi, multo minus in Ecclesia. Talis cũ fuerit Lutherus, non solum ipse apud inferos ardet, sed & eius doctrina, & unà cum assertoribus eius eradicanda erit, si Ecclesiæ suam pacem & tranquillitatem restitutam uelimus.

Respon-

Responsio.

Idem prorsus argumentū est, quod prius, plausibili saltē inducta forma. Exosa est merito seditio, in quam leges diuinę & humanę uindicāt. Seditionis autem tum cōuincent Lutherū & eius doctrinæ adhærentes, cum Iudæi eandem querelā apud Pontium Pilatum, aduersus Christū productam demonstrauerint. Non difficile est crimina aduersus innocentes confingere, sed eorū probatio nō caret summo periculo, si Moisi credimus, qui durissimè in falsos testes animaduertendum præcepit.

VI. Argumentum.

Qui sunt extra Ecclesiā, nō saluantur. Lutherus fuit extra Ecclesiam. Ergo Lutherus est damnatus.

Responsio.

Ad maiorem respōdemus, ijs nullā sperandam salutē, qui sunt extra uerā Ecclesiā, quæ est Christi corpus, ut Paulus appellat cōplementū. Huius Ecclesiæ membrū fuit Lutherus. Nam propter hanc causam sese ab illa Ecclesia malignātiū separauit, ϕ ἐντικείμενη esset Christo. Quapropter quod ab Ecclesiæ dignitate & prærogatiua adfert argumentum, somniū est Grāmatici. Frustra enim adhuc somniat Romanū Pontificē cum galeritis Cardinalibus, & Episcopis mitratis, & Monachis cucullatis, cum luis siue pedis siue pedibus esse ueram Ecclesiam.

Nolumus autem retorquere argumentum, sed

humaniter monere, nisi desinant persequi quam nos profitemur doctrinam, uel huius Grammatici sententia iudicium Dei non euasuros.

VIII. Argumentum.

Lutherus nullum articulum fidei credidit. Ergo Lutherus ardet apud inferos.

Responsio.

Cum antecedens negatur, consequentiæ ratio Grammatico est nulla. Sed ne putet nos hoc solidum, scilicet, eius argumentū eludere magis quàm soluere, uideamus quàm portentosè articulos fidei interpretetur.

Fol. 40. Credere, inquit, in ipsum Christū, NIHIL ALIVD est, quam credere ꝙ Christus hanc fœlicitatē illis (sanctis) atq; omnibus, qui illorum exemplo recipere uoluerint, à patre comparauerit. Necꝙ aliud est credere in Deum patrem, quàm credere, ꝙ per unigenitum filiū suum redemptum genus humanū ad tantam maiestatem extulerit, uidelicet quòd possint Ecclesiæ laboranti & periclitanti patrocinium, opem & æternorum bonorum partem aliquam impertiri, si inuocentur. Credere in spiritum sanctū, idem esse, quod credere, Papam cum Cardinalibus & sacrificulis habere spiritum sanctū, & habere etiam potestatem condendi nouos articulos fidei, & omnia illorum decreta esse Spiritus sancti oracula. Hæc ille.

Si

Si hæc Ecclesię catholicę fides est, fateor nec̄ Lutherum nec̄ discipulos eius, uel in Deum Patrem, uel in Christum, uel in spiritum sanctū credere. Sed quis quęso audiuit unq̄ credere in Deum, nihil aliud esse, q̄ credere in sanctos, uidelicet, q̄ Deus sanctos hac potestate donauerit, ut subuenire & opem ferre queāt oībus qui ipsos inuocauerint? Et credere in Christum idem sit quòd credere, q̄ hanc potestatem illis sua passione impetrauerit. Quæ porten a pro articulis fidei Ecclesiæ, ꝓpinat Grāmaticus? Vt uideas ita hominis excęcatam mentem, ut fide prorsus exciderit. Penitus enim ignorat ueræ fidei articulos, quos non deprauat modò, sed quibus potest proscindit conuicīs & blasphemīs. Nos hactenus cum Ecclesia catholica credidimus & confessi sumus, Credere in Christum, idem esse, q̄ firmiter assentiri, per spūs sancti uirtutē, Christum non tm̄ uerum Deum esse ab æterno ex Deo Patre ineffabiliter genitum, & uerum hoīem ex Maria uirgine natum, sed sua passione & morte omnia pcta nostra expiasse. Hoc credere in suo de dissidīs libello Grāmaticus appellauit dementiam extremam. Esse enim & operibus nostris expianda peccata. Huius loco supponit notham fidem, qua in Christum credere idem sit, q̄ credere per Christum sanctis tribuam potestatē opitulādi, à quibus inuocati fuerint. Spiritum uertiginis qui in hoc Grāmatico non

humaniter monere, nisi desinant persequi quam nos profitemur doctrinam, uel huius Grammatici sententia iudicium Dei non euasuros.

VIII. Argumentum.

Lutherus nullum articulum fidei credidit. Ergo Lutherus ardet apud inferos.

Responsio.

Cum antecedens negatur, consequentiæ ratio Grammatico est nulla. Sed ne putet nos hoc solidum, scilicet, eius argumentū eludere magis quàm soluere, uideamus quàm portentosè articulos fidei interpretetur.

Fol. 40. Credere, inquit, in ipsum Christū, NIHIL ALIVD est, quam credere ꝙ Christus hanc fœlicitatē illis (sanctis) atq; omnibus, qui illorum exemplo recipere uoluerint, à patre comparauerit. Necq; aliud est credere in Deum patrem, quàm credere, ꝙ per unigenitum filiū suum redemptum genus humanū ad tantam maiestatem extulerit, uidelicet quòd possint Ecclesiæ laboranti & periclitanti patrocinium, opem & æternorum bonorum partem aliquam impertiri, si inuocentur. Credere in spiritum sanctū, idem esse, quod credere, Papam cum Cardinalibus & sacrificulis habere spiritum sanctū, & habere etiam potestatem condendi nouos articulos fidei, & omnia illorum decreta esse Spiritus sancti oracula. Hæc ille.

Si

Si hæc Ecclesię catholicę fides est, fateor neq; Lutherum neq; discipulos eius, uel in Deum Patrem, uel in Christum, uel in spiritum sanctū credere. Sed quis quęso audiuit unq; credere in Deum, nihil aliud esse, q; credere in sanctos, uidelicet, q; Deus sanctos hac potestate donauerit, ut subuenire & opem ferre queāt oībus qui ipsos inuocauerint? Et credere in Christum idem sit quòd credere, q; hanc potestatem illis sua passione impetrauerit. Quæ portenta pro articulis fidei Ecclesiæ, ꝓpinat Grāmaticus? Vt uideas ita hominis excęcatam mentem, ut fide prorsus exciderit. Penitus enim ignorat ueræ fidei articulos, quos non deprauat modò, sed quibus potest proscindit conuicijs & blasphemijs. Nos hactenus cum Ecclesia catholica credidimus & confessi sumus, Credere in Christum, idem esse, q; firmiter assentiri, per spūs sancti uirtutē, Christum non tm uerum Deum esse ab æterno ex Deo Patre ineffabili modo genitum, & uerum hoīem ex Maria uirgine natum, sed sua passione & morte omnia pcta nostra expiasse. Hoc credere in suo de dissidijs libello Grāmaticus appellauit dementiam extremam. Esse enim & operibus nostris expianda peccata. Huius loco supponit notham fidem, qua in Christum credere idem sit, q; credere per Christum sanctis tributam potestatē opitulādi, à quibus inuocati fuerint.

Spiritum uertiginis qui in hoc Grāmatico non

u

agnoscit, ipse, metuẽdum est, ne uertigine laborer.

Quod adfert simile ex aulica consuetudine desumptum, tritum est, & prorsus dissimile. Deo ẽ uota nostra nota sunt, priusquàm ei exponamus, & multò promptior est ad subueniendum nobis, q̃ ulla creatura esse queat. Neutrum in rege siue Principe, cui supplicandum est, per intercessores: hi ẽ sępenumero subditorum fortunam ignorant, & minus pro salute eorum excubant, & ipsorum miseria non afficiuntur. Monstrat nobis scriptura intercessorem & aduocatum unum Christum, qui, ut intercederet pro nobis, ad dexteram Dei collocatus est, per quem unicũ Deo supplicare possumus, cui nostra inuocatione uel adiungere, uel surrogare, iuxta opinionem huius Grammatici in cœlis aduocatos, quid aliud est, quàm nostram in ipsum diffidentiã prodere, cùm Deus Pater ipsi nihil denegare possit, quod pro salute nostra petit? Qua fiducia uelit nos esse in Deum Patrem Ioan. 16. docet. Etsi enim sine mediatore, qui est unicus Christus nec possumus nec audemus accedere Patrem, tamen Christus inquit: Non dico uobis, quia ego rogabo Patrem pro uobis, ipse enim Pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, q̃ à Deo exiuerim. Quid de sanctis diceret filius Dei, cùm hæc sint de seipso uerba? Qui Patrem amat, & credit à Patre Christum egressum nostræ salutis causa, is de intercesso

Rom. 8. 1. Ioan. 2. 1. Ti. 2.

re non

renon sit sollicitus apud Patrem, quòd Christus eius erga nos charitatem prędicet, ut de sua apud ipsum intercessione & apud discipulos suos non multa uoluerit uerba facere.

Quòd adfert in suum sensum uerba Christi: Quod uni ex minimis meorum feciſtis, mihi feciſtis. Ergo sancti sunt inuocandi, tam ineptum est, ut responso non sit dignum. Vt interim de blasphemia nihil dicam, qua sanctis tribuendo honorem, qui soli Deo debetur, Deum honorare sibi uidetur homo phreneticus, sicut scriptum est: Gloriam meam non dabo alteri.

Impudenter mentitur ab Apostolis acceptam sanctorum inuocationem, quam primitiua Ecclesia ignorauit. In qua, cùm sanctorum fieret pia commemoratio, posteritas in ethnicum cultum conuertit, cuius utcunque uetus consuetudo, nihil aliud est, quàm inueteratus error, ut Tertuliani uerbis utar.

Miracula, quæ prædicat ad sanctorum reliquias facta, tantum abest, ut uel Lutheri uel nostro nomine negemus, quin parati simus, eadem illustri scripturæ loco, & quidem ipsius Christi comprobare testimonio, cui detrahere nefas est. Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi. Mira- Matth. 24.

culorum tot habes exempla, quot sunt sanctorum tuorum extructa phana & excelsa, quorum monumenta passim uidere licet tanq; trophęa erecta. Etsi enim quędam possunt esse uera, tñ quo loco maximam eorum partem habeamus, uerbis Christi ostę dimus. Vides Grāmatice parum abesse, quin nobis etiam in reliquis persuaseris, dum tibi miracula ad sanctorum reliquias, quæ uel permissione diuina, & iusto Dei iudicio fiebant, uel à tuis impostoribus conficta sunt, desijmus negare, sicut iam dictum est.

Quod ad condemnationem Lutheri adfert, ipsum etiam sanctorum operibus derogare, eo quod docuerit iustum in omni bono opere peccare, Eiusdem insaniæ argumentum est, cuius Grāmaticum iamdudum conuicimus. Imperfectionem peccatorum numero censeri tyrones Theologię non ignorant, in qua propter carnis infirmitatem cùm fiant sanctorum opera, sicut ipsorum querelæ testantur, rectè dicitur sanctos in omni bono opere peccare. Quod autem placent Deo, fit, quia hęc imperfectio, in qua fiunt, propter Christum non imputatur, qui pro nobis Deo Patri semper ἀφεσιν fecit

Rom. 7.
Psal. 18.
Rom. 7.
Ioan. 8.

Non minus falsum est & illud, quod scribit Deum sanctificasse nostra bona opera, ut per hæc ipsa resurrectionis & æternæ uitæ participes fiamus.

Certum est Deum sanctificasse piorum opera, quæ uerè spiritus sancti opera dicuntur, cui membra

bra ſua, tanq; arma iuſticiæ ſubminiſtrant: & quidem ea ratione, qua fiunt à ſpiritu ſancto omni macula carent: ſed qua fiunt à nobis imperfecta ſunt, quia caro, qua hominis etiam uoluntas cenſetur, non perfectè obedit Deo.

Sed quòd hoc modo & in eum finem ſanctificet, ut meritoria ſint & reſurrectionis & uitæ æternæ, quid hoc aliud eſt, quàm uel negare, uel dimidiare reſurrectionis & obedientiæ Chriſti meritum?

Fatemur & nos, quòd exercitio bonorum operũ paulatim ex hoc mundo, ad illam æternam uitam transferamur, ſiquidem in nobis inchoata eſt, & opera iſta in beata uita inchoata fiunt, ſed meriti ratio tota, in ſola mediatoris obedientia conſiſtit, qui factus eſt uictima pro nobis, & perfectè omnia ſua obedientia meruit, cuius nos efficimur participes.

Amicorum, inquit hic Grammaticus, communia ſunt omnia, Afflictiones ſanctorum ſunt ipſius Chriſti, Ergo qui afflictionibus ſanctorum adimit nomen meriti, etiam ipſi Chriſto adimit. Hactenus ex fabulis Aeſopi & Homeri commentis nobiſcum egit Grammaticus. Nunc ex armario ſuo etiam adagia producit, & ad ſuum inſtitutum accommodat. Hęc enim ſunt Theologię ſuæ principia. πάντα τὰ τῶν φίλων κοινά. Ergo ſancti ſunt inuocandi. Quanta quæſo eſt uel malitia uel ignorantia huius Grammatici, quòd inter ſanctorum

& Christi afflictiones nescit discernere. Christus pro nobis crucifixus est. De sanctis autem quid loquitur Paulus? Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Ettamen omnia amicorum communia.

1. Cor. 1.

Quantum cœlum à terra, tantum distant Christi afflictiones ab afflictionibus sanctorum. Afflictionibus Christi tribuitur perfecta expiatio omnium peccatorum. 1. Ioan. 2. Ipse factus est propiciatio pro peccatis totius mundi. Hanc gloriam tribuere sanctis aut communicare, est meritum Iesu Christi negare, & pedibus conculcare, sicut aliâs demonstratum est.

Aliud Argumentum.

Qui in Spiritum sanctum non credit, saluari nõ potest, Lutherus in Spiritum sanctum non credit, Ergo non est saluatus.

Probatio minoris.

Fol. 49.

Quia credere in Spũm, est credere Spiritum sanctum esse in Romano Pontifice, Episcopis, Cardinalibus, quòd habeant potestatem cõdendi nouos articulos fidei. Hoc neq; Lutherus neq; discipuli eius credunt, Ergo damnatus est.

Responsio.

Ecce & huius articuli fidei de Spiritu sancto, nouam, & antè inauditam, adfert explicationem. Eam scio, utcunq; in alijs errent, ne ipsi quidem Papistæ

piſtæ admittent, ut ſibi ſoli hunc furorem reſeruet Grãmaticus. Quid enim ad hunc articulũ (quo piè & rectè creditur Spũs ſancti cum Patre & filio æqualis diuinitas, omnia ſanctificantis) articulus de tyrãnide Pontificis Romani, ſeſe ſuper omnia extollentis, quod Deus & cultus Dei appellatur? Num ſpiritum ſctm̃ negare dicitur, qui eiuſdem ſpiritus oraculis, hoc eſt, Scriptura ſacra demonſtrat, à patre mendaciorum prodire pleraq; Rom. Pontificum decreta, quæ tanq; nouos articulos fidei nobis obtrudit Grãmaticus? Sed quoniam de hac parte ſuprà diximus, ſatis eſt hoc loco inſaniam hominis ſaltem notaſſe, quæ ex prioribus ſatis comprobata eſt. hoc ſolum adijcientes, ſi, quam ille iactat, catholica Eccleſia, nullo alio ſpiritu ſancto gubernatur, q̃ hunc Grammaticus deſcribit, qui ſcilicet nouos articulos fidei condat, hic ſciat, alium non eſſe niſi patrem mendacij, & oĩm impoſturarum architectũ, quibus hactenus totũ mũdum faſcinauit Rom. Antichriſtus, à dæmone, cui legio nomen eſt, obſeſſus.

Quòd non omnia diſcipulos ſuos docuerit Chriſtus, nõ uideo quomodo conueniat cum eo, quod ait: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo nota feci uobis. Hic tuũ Aeſopicũ Menippũ, aut ſi q̃s alios in ſchola tua habes fabulatores, inuoca, aut ſi placet oẽs ſanctos, ut hoc loco te explicẽt, aut cõtradictio erit in uerbis Chriſti, q̃d Ioan. 15.

impium est, aut asseras necesse est, Apostolos nihil celasse Christum earum rerum, quæ ad salutem necessarię sunt. Quod enim ait: Multa adhuc habeo uobis dicenda, nonita accipiendū est, qua si aliquid noui sit eis traditurus, de quo non iam pridem monuerit eos, & concionatus sit: sed discipulorum suorum saltem ruditatem accusat, quos frustra nunc doceat, priusq̄ spiritus uirtute ex alto induantur.

Sed demus, quòd ante assumptionem suam in cœlum, non omnia docuerit Apostolos Christus, tamen certum est, quòd ipsos in sua ignorantia non passus sit permanere, sed per spiritus sancti missionem ea omnia sint edocti. Qui si quid Ecclesiam celârunt eorum, quæ ad salutem æternam necessaria sunt, à grandi sacrilegio Apostolos excusare non poterimus. Quominus autem hanc notam illis inurat Grammaticus, docet Apostolus ad Ephesios loquens: Non enim, inquit, subterfugi, quominus
Act. 20. annunciarem omne consilium Dei uobis. Omne, inquit, consilium Dei. Frustra ergo nobis libros Apostolicos tanquam mancos obȝcit, ut humanarum traditionum autoritatem adserat. Iniquè tollit censuram Lutheri, de quibusdam libris apocryphis. Quid nos faciamus ad tam manifestam blasphemiam? Permittamus hominem suo iudici, cuius iudicium resipiscens ut euaderet optarim: sed metuendum est, ne sit in reprobam mentem datus.

Præ-

Præterea ait: Lutherum non rectè sentire in Articulo de Ecclesia, quòd de Papisticis sacrificulis minus honorificè sentiat & loquatur. Sed nunc aliud non respondemus, quàm si probauerit grammaticus colluuiem sacrificulorum et Monachorum esse ueram Ecclesiam, paratos nos fore etiam Luthero hac in parte minus patrocinari.

Similiter & de Articulo, qui est de remissione peccatorum iudicandũ est, quòd reprehendit Lutherum, hanc ob causam non recte sentire, quòd asserat peccatum in baptismo remissum, remanere in renatis. Nisi prorsus sensu communi destituatur, idem fateatur necesse est. Remittitur enim non, ut non sit, sed ut non imputetur, sicut ad Ro. 8. dicitur: Nihil damnationis in his, qui sunt in Christo Iesu. Etsi peccatum remanens in se consideratum dignũ sit æterna dãnatione & morte, sicut aliâs dictũ est.

Ex his quæ diximus patet, iniustè Lutherum à grammatico damnatum, ut qui de præcipuis Articulis fidei minus rectè sentiat, & quàm portentosos fidei articulos nobis proposuerit nouus hic grammatotheologus, breuiter ostendimus. Nunc ad reliqua properemus argumenta diluenda.

VIIII. Argumentum.

Qui negat Sacramenta Ecclesiæ & contemnit, saluari nequit: Lutherus Ecclesiæ Sacramenta negauit, Ergo saluari non potuit.

Reſponſio.

Recte D. Auguſtinus contemptores ſacramentorum etiam ſacramentorum gratia priuari. Sed in controuerſiã uenit, quæ & quot ſint numero Sacramenta à Chriſto inſtituta. Baptiſmũ & cœnam Domini agnoſcit Lutherus à Chriſto inſtituta. Reliqua ueſtris committit Theologis, quibus ſi uolupe eſt ſexcenta alia addere poſſunt. Etſi diligenter examinauerimus, nullam Sacramenti rationem obtinent, ſicut in Apologia ſua tibi demonſtrabit Brentius, quem tu tanquam lupum traducis.

Lutheri uerba nihil abſurditatis habent, ubi ſcribit: Principio mihi neganda ſunt ſeptem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponẽda, Baptiſmus, pœnitentia & panis: quanquam ſi uſu ſcripturæ loqui uelim, non niſi unum Sacramentum habeam, & tria ſigna Sacramentalia. Nam Euchariſtia & abſolutio ſunt rememoratiua promiſsionis & adoptionis Chriſti. hæc ille. Sacramentũ ſiue Myſterium unum eſt, noſtri ſcilicet cum Chriſto coniunctio, quę fit in Baptiſmo, in annunciatione Euangelij, in diſpenſatione cœnę dominicę. Vnus eſt Chriſtus, qui non uariat, etſi organa uariant, & eius participatio in nobis augetur. Fruſtra ergo hic quoque obgannit grammaticus, Lutherum de Sacramentis aliena à ſentẽtia Catholicę Eccleſiæ docere.

Sed obiter hîc falſarium notemus, quod D. Paulus

lus de Christo & Ecclesia loquitur, id grammaticus contra mentem Pauli ad matrimonium refert: τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Grammaticus à regulis syntaxeos aberrans, hoc loco constructionem male obseruauit, dignus Camilli censura. Mysterium est excedens omnem rationem & sensum, quòd filius Dei sibi genus humanum desponsatum copulauerit, ut esset unum cum ipso, cuius ipse caput est, hoc uero corpus per nexus & coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.

Horrenda est scurrę blasphemia, quã subiungit. Quemadmodũ, inqt, eiusdem perfidię & incredulitatis & impietatis est credere nullũ Deum, & credere esse quidẽ Deum, sed talem qualem Horatius describit Priapũ. Ita eiusdem incredulitatis & perfidiæ est, nullam credere peccatorum remissionem, & credere talem, qualem fingit Lutherus.

Lutherus remissionem peccatorum docuit in solo sanguine Christi per fidem. Hæc doctrina si perfida est & impia, perfidiæ & impietatis arguet Christum, & Apostolos, ex quorum ore hoc hausit Lutherus, sicut suprà ostensum est.

Quo sensu dixerit Lutherus, Euangeliũ non requirere opera, aliâs dictum est: Hoc in calumniam rapit grammaticus. Euangelium enim propriè dictum, quatenus Euangeliũ, sicut offert Christum,

ita fidem exigit, ut in ipsum saluatorem credamus, & fiducia illius remissionem peccatorum nostrorũ habeamus.

Deinde tradit etiam præcepta uitæ. Sed hæc non sunt propria Euangelij, sed legis diuinę, quæ altera pars doctrinæ cœlestis est, non minus necessaria, quàm illa prior, ad ostendenda peccata, & semitam uitæ, in qua fideles ambulare debent.

Sed uideamus, quàm pulchrè probet Lutherũ in spiritum sanctum fuisse blasphemum. Concilia, inquit, suas sententias his uerbis pronunciarunt: Visum est spiritui sancto & nobis. Ergo qui eorum decretis derogat, qui hac formula præfati sunt, blasphemus est in spiritum sanctum.

Vix risum continere possum. Protinus ne spiritus sancti decretum est, si hæc uerba prætexantur? Quid si histrio aliquis suis ludicris actionibus, aut præstigiator suis præstigijs addat, propterea pro oraculis diuinis habenda essent?

Nota. Sic pseudoprophetæ: Sic dicit Dominus &c. Ier. 28.

Vsitata loquendi formula erat, qua Prophetæ usi sunt: sic dicit Dominus. Num propterea pseudoprophetarum sermones pro oraculis diuinis habendi erunt, si his uerbis præfati fuerint?

Aliam rationem adferas necesse est, qua authoritatem facias eorum decretis, quæ non nisi ex uerbo Domini reprehẽsa sunt. Et ex spiritu Dei tantisper uiuet Lutherus, donec blasphemiam aduersus ipsum

ipſum demonſtraueris, quam tibi ſcio hę Aeſopicę fabellæ non ſubminiſtrauerint.

Quod in Paulum Tertium pontificem & Antichriſtum Romanum & Cardinales ſcripſit, utinam tam prompti fuiſſent ad emendandum, quàm hic ad retractandum: ſic enim & ſui nominis honori & Eccleſiæ conſuluiſſent rectius. Sed tantum aberat ut ea corrigerent, quin in hodiernum diem in hoc unicè incumbant, ſua conſilia, & conatus omnes eò dirigant, quibus poſsint modis opprimendi eos, qui ipſorum nefandæ libidini reſiſtunt.

Nulla ergo fuit cõtumelia affectus Paulus III. in libello, cui titulum fecit Lutherus Cõtra pontificatum Romanum à Sathana fundatum. Obſequium enim fuit pium, quod miror quomodo ſanctiſſimo patri potuerit eſſe ingratum. Fateor Lutherũ non ſemel tantũ admonitũ, ſed magnificis & ſplendidiſsimis muneribus & dignitatibus inuitatũ, ut à ppoſito ceſſaret, & Rom. Pontifici ſeſe ſubijceret: uerè indubitata ueritas, quam Dñs per ipſum tanquam ſelectũ organõ propagare decreuerat, eiuſmodi uanas perſuaſiones non admittebat, Potior illi æternæ ſuæ & aliorum ſalutis ratio erat, quàm honorum & dignitatũ huius mundi, quibus Deo permittente & Sathana gubernante Romanus Pontifex præfectus eſt. Eius admonitiones nobis ſunt ad defectionem & abnegationem Chriſti impro-

bæ ſollicitationes, quibus cedendum non eſt.

Reſtant duo ſiculnea argumenta, quibus Grammaticus non ſolum probare conatur, Lutherum apud inferos ardere, ſed doctrinã eius pariter cum perſona omnibus exoſam reddere, in primis autẽ Principibus perſuadere, ut de ea opprimenda conſilia capiant, ſi ſuis regnis & Eccleſijs tranquillitatem & piam pacẽ uelint reſtitutã. Nos ea etiam paucis expediemus, ut uel tandem finem faciamus.

Quicunq; pacem Eccleſiæ rumpit, dignus eſt æterno igne. Lutherus Eccleſiæ pacem rupit. Ergo Lutherus dignus eſt æterno igne.

Aliud Argumentum.

Qui cauſa eſt omnium calamitatum & malorũ, quę his quadraginta annis Germaniã afflixerunt, dignus eſt igne infernali, Lutherus horum malorum una cauſa eſt. Ergo iure dicitur apud inferos ardere.

Certum eſt mediocrem tranquillitatem fuiſſe iuxta externam faciem in republica & Eccleſia, ante reſuſcitatam Euangelij doctrinam. Sed bellorũ & motuum cauſam in doctrinam à Luthero propagatam reijcere, id demum craſſa eſt ignorantia & deteſtanda malitia. Fallacia nota eſt in ſcholis à nõ cauſa ut cauſa, item fallacia accidentis, id quod exemplis demonſtrabimus.

Priuſquam Ieremias Propheta apud Iudaicũ populum

pulum ſuas cõciones ex mandato Dei inſtauraret, conſenſus erat inter Sacerdotes & Leuitas, & mediocris etiam in regno tranquillitas. Poſtquam uero ipſe populum ab auita Idolatria reuocabat, diſſenſio exoriebatur in populo, & uarijs modis affligebantur, bello, fame, peſte.

De cauſa diſsidij & malorum quæſtio eſt. Hanc ſummus Sacerdos cum ſuo ſenatu reijcit in Prophetam, quem etiam apprehendunt ſententia mortis aduerſus ipſum lata. Huius ueſtigia ſequitur populus, qui hanc noſtri Embricenſis grammatici ſententiam exprimunt, dicentes: Sermonem, quem ad nos locutus es in nomine Domini, non audiemus ex te, ſed facientes faciemus omne uerbum, quod egreditur de ore noſtro, ut ſacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos & patres noſtri, Reges noſtri & Principes noſtri in urbibus Iuda & in plateis Ieruſalem. Et ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, & malũ non uidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli & libare ei libamina, indiguimus omnibus, gladio & fame conſumpti ſumus.

Hîc non opus eſt Grammatici exquirere ſententiam: cum enim ſupra ſummi pontificis iuſtificauerit iudicium: qui, inquit, iudicabit tibi iudicij ueritatem, ab eo nunc recedere ſibi nefas ducet. Iudicio ergo Grammatici, Ieremias omnium malorum

causa est, perturbator & Ecclesiæ & tranquillitatis publicæ, cum utriusq; causa esset & sacerdotum impietas, & populi erga uerbum Domini rebellio & ingratitudo.

Tempore Achab Elias concionabatur: eo docẽte, fames in terra Israel exoritur grauissima. Achab in Prophetam reiicit culpam. Sed audit uicissim rex. Tu es, inquit Propheta, qui cõturbas Israel. Eadem & Christo & Apostolis obiiciebantur, cum essent innocentissimi, & summorum sacerdotum et populi impietas iram Dei prouocaret.

Quòd si Grammaticus doceri uellet, uel ex fabulis suis æsopicis sese explicare posset: Solenne scilicet esse lupo accusare ouem, quę in infima parte torrentis sibi aquam turbet. Agnoscimus nos quoq; magnum consensum fuisse in impietatem Papisticam, priusquam Lutherus exoriretur. Experti sumus autem eo docente satis duras afflictiones, quas Deus in primis Germaniæ immisit: horum omniũ causam, dum in nos reiiciunt Papistæ, nihil noui dicunt aut faciunt, sicut iam de Prophetis, Christo & Apostolis demonstrauimus. Sed qui fuerint horũ omnium malorum Architecti non ignorare possunt. Si quid in nostris culpandum est, Martyria erunt, quæ tot cruciatibus superatis iam ad quadraginta annos sustinuerunt.

Malorum autem causa est Papistarum obstinata malitia

malicia & impietas, quòd Euangelio hactenus recusarunt credere, sed igne, aqua, ferro, & omnis generis tormentis persecuti sunt: Et nostrorum ingratitudo, qua euangelica libertate ad licentiam carnis abusi sunt. Ac metus est, nisi de sua crudelitate Papistæ remittant, & nostri maiorem gratitudinem pro oblata gratia declarent, subsecuturam panolethrian, sicut Daniel inquit: finis eius uastitas. Improbè ergo facit, quòd nostris intentat crimen, cuius sciat suos esse reos. Magis uerò improbè, quòd Principum & regum animos aduersus ueræ doctrinæ assertores excitare & stimulare ac exacerbare conatur. Sed quæ est huius hominis impietas, & Principum uirorum integritas, & consiliorum ipsorum rectitudo, non puto fore quenq̃, qui huius hominis furores sequatur, Sed potius eius blasphemias ex animo detestetur, quo minus nobis ab illo metuendum est periculi.

Cùm igitur in hac sua Apologia nihil præter maiores adferat, etsi easdē sua impietate ita deprauet, ut eas nemo bonus probare queat, in minore autē pro concessis assumat, quæ aduersus Lutherum & sanam doctrinam confinxit mendacia, nec quicquam probet, fascinatus scilicet suæ scholæ Thearo, ubi discipulorum nemo ipsi præceptori reluctari audet, Idem sibi etiam in Ecclesia licere falsò persuasit, fore ut nemo sese illius erroribus opponat.

Existimo satis hominis pariter & ruditatem & impietatem demonstratam esse.

Sed præstat priusquã finem faciamus, cognoscere uiam & rationẽ recuperandæ pacis, quam grammaticus ordinibus Imperij præscribit.

Eam tribus partibus complexus est, Prima ut tolerentur mali: hanc enim improbè ait scelestus homo causam fuisse excidij populi Israelitici, quòd recusauerint malos tolerare. Altera ut exurãtur omnium Lutheranorum libri, tanquã uenenata tela Philoctetis. Postrema, ut uel in exiliũ ejciantur uel trucidentur, qui Romani pontificis imperio sese nolũt subijcere. Hoc scilicet compendiũ est ad recuperandum ociũ sacrificulorum, in quo cum detrimento tot milium animarũ belle ac suauiter deliciati sunt.

Quæ est quæso hæc improbitas? Cum populus Dei ideo affligeretur, quia obtemperabant summo Sacerdoti Baalim sacrificanti, hanc Dei sententiam inuertere, & impudẽti ore asserere, ideo illis Deũ iratũ, q̃ cum malis non seruent unitatẽ & pacem?

Quid opus est prophetarum hîc repetere conciones, quę populi consensum cum summis Sacerdotibus in Idolatriam prædicant omnium calamitatũ fuisse causam. Quo magis stupenda est grammatici impudentia, qui ad exitiũ nostrũ maturandũ non ueretur similia nobis persuadere, utcunq; Deũ offendamus, modo suis delicatis sacrificulis suũ constet

ſtet ocium. Conſtat prophetas, qui regū, principū, ſummorū pontificū & populi Idolatriā grauiter reprehendebant, à ſummis Sacerdotibus & regibus conſentiente populo truncatos eſſe & occiſos. Hęc contra prophetas rebellio interitus ipſorū cauſa fuit, ſicut uidere eſt in libris regū & Paralipomenon. Sed tantū abeſt ut illis iraſceretur Dominus, quando pij reges pro ratione ſui officij excelſa abſtulerunt, quæ cōſentientibus et iubentibus ſummis Sacerdotibus erecta erant, ut omni benedictione Dominus eos cumularet. De reliquis ut taceā, qui pleno corde coram Domino ambularunt. Ipſi Iehu in quartā generationē confirmatum eſt regnū, ꝙ tem plū Baal in cloacas conuerterit. Eius exemplū ſi pij reges in prophanandis ſacrificulorū ſacellis imitentur, de benigna Dei erga ſe uoluntate minime dubitare debent. Tolerarunt prophetę Idolatras, ſimiliter & Apoſtoli, quos ſi potuiſſent emēdare & corrigere, de ſuo ſtudio nihil remiſiſſent. Sed quid hoc ad Principū officiū, qui tenentur ſui officij ratione non tolerare, ſed abolere Idolatriā, præcidere offendicula, quod dum faciunt, in prophetarū et Apoſtolorum exempla nihil delinquunt. Subditi nolint uelint coguntur tolerare, quæ magiſtratus authoritate non corriguntur. Requirit autem Grammaticus non ſolum tolerantiam, ſed etiam conſenſum, quo ſtudere debeamus cū Papiſticis, impijs et impuris

ſacrificulis ſeruare unitatẽ ſpiritus. Id ut pñ, & quibus oculos mentis illuſtratione ſpiritus ſui aperuit Dominus præſtent, ne Auguſtini quidẽ authoritate perſuadebit unquã. Nã ſcriptũ eſt: Nolite iugũ ducere cũ infidelibus, ꝓpter quod exite de
2. Cor. 6. medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam uos, & ero
Eſaiæ 52. uobis in patrem, & uos eritis mihi in filios & filias, dicit Dñs omnipotens. Et Ioannes: Fugite idola.

Prẽſtat ſaluberrimæ Prophetæ & Apoſtoli admonitioni obtemperare, quàm tua ſomnia ſequi, qui improbè nobis conſenſum cum impñs ſuades.

Quàm nihil ad uanitatem tuam probandam faciat Auguſtini locus, manifeſtum eſt. Aduerſus Donatiſtas pugnat ille, qui per omnia puram contendebant habere Eccleſiam, in qua nihil offendiculorum eſſet, cum quibus nobis nihil eſt cõmune. Scimus tolerandos etiam malos in Eccleſia, ſi quando reſipiſcentes liberentur ex laqueis Diaboli. Sed impietatem ſacrificulorum ſequi, hoc à mente D. Auguſtini eſt alieniſsimum, ſicut ipſius Epiſtolæ contextus docet. Deinde hac ipſa doctrina D. Auguſtinus nemini de ſuo officio derogat. Magiſtratus officium eſt abrogare idolatriã, Patrum familias auocare liberos & familiam, Paſtorum Eccleſiarum populum ab idolatria dehortari, & ſimilia. Conſilium de exurendis noſtrorum libris uanum eſt: ſic enim homi-

hominum seductorum confirmatur studium perse uerandi in errore,& quæ est mala bonitas typographiarum semper erunt, qui horum desiderio satisfaciant.

Deinde non est tanta uis errorum, ut contra ueritatem aliquid ab his sit metuendum detrimenti. Qui uolent seduci, libris exustis errore non liberabuntur. Ea autem est euangelicæ ueritatis firmitudo, ut facilè omnium religionum libros iuxta se positos ferat, quos instar Arcæ fœderis tanq̃ dagonem pręcipitare potest. Quot profert terra pestiferas herbas, quæ salutaribus nihil incõmodant, sed earum bonitatem tanq̃ saluberrimorum medicamentorum commendant. Non minus absurdum, exilio & omnis generis tormentis doctrinam Euangelij delere. Cùm enim sanguis sanctorum irrigatio sit Ecclesię, omnes persecutiones doctrinã Christi plantârunt magis quàm extinxere,id quod & Apostolorum tempora & primitiuæ Ecclesiæ exempla docent.

Reliquum igitur est, ut tuis consultoribus sacrificulis malam gratiam habeas, qui te miserè deceperunt, imponendo onus, cui ferendo tu cum omnibus tuis Grammaticis par esse non potueris. Hoc igitur infœlici tyrocinij tui successu edoctus in posterum tibi temperes, nec falcem tuam in alienam messem mittere pergas. Rectè aliquoties monuisti,

per Spiritum ſanctum, in Eccleſia Chriſti ſingulis perſonis ſua diſtributa munia & officia, quo magis reprehendenda eſt tua peruerſa ſollicitudo, qua opinatus es uniuerſum pontificium regnum ruiturum, niſi Grammaticorũ opera muniatur, & Aeſopicis ac Homericis fabellis fulciatur.

Arbitraberis forte te rideri ab ignoto, ſed meminiſſe debueris prouerbij, Ne ſutor ultra crepidã. In primis autem tuorum ipſius uerborũ: Alienum fundũ arãtes, irã Dei in ſe, puocare. Dũ te officij admonemus, de te utiq; nõ malè meremur. Ad fabũlas ſcias te natũ eſſe his moribus, & hoc ingenio, nẽ ad res ſacras tractandas. Quòd ſi minus patiẽter feras nugarũ tuarũ confutationẽ, & officiũ conuitijs compenſes, ſcias tuũ blaſphemũ os nullum præterea accepturum reſponſum. Pium autem lectorem rogatum uolo, ut in meliorem partem accipiat ſi quid acerbius in Grammaticum dictum eſt. Cum enim enormis ipſius eſſet blaſphemia, reſponſum manſuetius extorquere non potuit, niſi homini, qui omnis generis probris, conuicijs & blaſphemijs in Chriſtum coniectis inſtar lapidis non moueatur.

Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, per aduentum filij ſui ad iudicium, uel tandem horum hominũ ludibrijs finem faciat, & Eccleſiã ſuam ab his monſtris liberet, quæ in ſummis anguſtijs, quibus in hoc

in hoc mundo subiecta est, non nisi ad iudicium eius prouocare potest, quod futurum est, ut Prophetæ loquuntur, in ueritate. Amen.

Francoforti excudebat Petrus Brubachius anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo.